CENTRALE V. E. II

NAZIONALE
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
8
32 - A
30
ROMA

C. 32. f. 31

IANI PARRHASII CONSENTINI VIRI DOCTISSIMI RHAEtoricæ Compendium,

Atq; id quidem ab optimis quibusque tam Græcis quàm Latinis autoribus, in adoleſcentum ſuorum ad artificium rationemq; dicendi perducendorum gratiam atq; uſum, excerptum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ioan. Alexander Braßicanus ad ſtudioſorum utilitatem in lucem edidit.

Biblioth. S. Pantal. de Urb. Rind.

BASILEAE.

I. ANTONIVS CAESA-
rius Lectori.

Quicquid ab arte capi Graia, Latiaq́; loquendi
Lector amice poteſt, hoc breue monſtrat opus.
Si cupis Orator fieri, Rhetorq́; diſertus,
Hoc lege: nam uoti tu cito compos eris.

glectusq́; indigniſsimè iacuiſſet: moxq́; ad tollendas quæ in eo craſsiores etiam ſordes hærebant, animum ſimul manũq́; adijciens, dignum equidem cumprimis iudicaui, quem in publicum prodire, multo quàm antea & caſtigatiorem & nitidiorem nunc demum curarem: idq́; tuo potiſsimum nomine, Nicolaë, *ut & quàm te ex animo cum ob ſingularem patris tui, optimi certè atq; doctiſsimi uiri in me beneuolentiam, tum egregiam indolem tuam amplectar ac diligam intelligeres: & ad huius ipſius autoris,* Parrhaſij *dico, ſcripta, olim per occaſionem diligentius inueſtiganda contenderes: & quod uel præcipuum erat, alacrius etiam in hiſce ſtudijs, ad quæ ſanè iam ætas iſtæc tua aſpirat, te exerceres. Quo certe fiet, ut non ſolum id quod te maxime decet, quãq́; nos de te ſpẽ cõcepimus, egregie tueare: ſed magnum quoq; (patris exemplum ſedulò imitatus) tui uſum, cum patriæ, tum bonis aliquando omnibus præbeas.* Vale, Baſileæ, *pridie Calendas Septembres.* M. D. XXXIX.

COMPENDIVM INDEX.

Aborigines 86.4
Adoleſcentiæ laus. 81. 9
Aegyptij ſe primos ho minũ eſſe uolũt.1.13
Aequum bonum.106. 1. inde
Aequitatis ratio.106.1
Aetatum ratio & diuer ſitas 80.18
Affectuũ motio.94.4
de Affectib. agere pol licetur Parrhaſius. 94. 16
Agere, & actio, quare oratoris propria.27.5
Alcibiades 20.23
Albini defenſio.54.12
Ambiguum. 57.7.16
Amicitiæ laus 79.10
Amplificãdi ratio.76. 23.& 77 5
Antipho 2.12
Arbiter à iudice quid differat 106.19
Ariſtotelis rhetorica. 14. 1
Ars.9.18.& artis nomi ne digna quæ.10.13
Ars celanda 24.7
Ars naturæ imitatrix. 15. 16
Ars quàm natura cer tior dux 16.23
Artis officium 11.5
Aſſertio accuſatori pro firmamẽto.63.1
Aſſumptiua qualitas. uide Iuridicialis.
Aſſumptiuæ ordo.55. 17
Aſyſtata 42.22
Aſyſtatorũ modi quot 43. 5
Athenis primum elo quentię data opera. 3. 5
Auaricia adoleſcentiæ pernicioſiſſima.81. 12
Audere,etiam bonis re bus coniunctum, fugi endum tamen.4.17

B

Bonum quid. 67.4
Bonis omnibus ex cœpta uirtute, abuti homines poſſe. 12.13
L. Brutus & Popilia primi in funere laudati Romæ. 77.10

C

Calliſtratus 13.22
Capita ſpecialia & generalia. 61.23. & 62.11
Val. Catulli natalis. 5.
Cauſa 31.19
Cauſa ſimplex quæ. 61 2. quæúe cōpoſita. 3
Cauſarū tria genera. 36.8. & 37. 18
Cethegus Suadæ medulla 4.7
Cacoſyſtata 44.19
Cicero cōtra Fabium & alios defenſus. 26. 5. inde. & 28. 8. & 45. 15
Cicero iam ſenior in eloquentia ſe exercuit 5.20
Cinxia Iuno 88.1
Circumſtantia, quæ facit hypotheſin. 34.22
Circumſtantiæ partes. 35. 5
Ciuitatis laus 79.2
Cliſthenes 3.8
Comam nutrire ſoliti Lacones 75.6
Comparatio 54.3
Comparationis momentū in laudando. 77. 13
Complexiua controuerſia 60.16
Conceſſio 55.1
Conciliatio 93.21
Concluſio 64.23
Confutatio 65.7
Coniecturalis conſtitutio. 48.1. & 49.22
Conſolari an etiam oratoris 37.1
Conſtitutio quid. 45. 11. & 46. 3
Conſtitutionis inueniendæ ratio 46.19
Conſtitutiones quot, & quæ 47.3

ex Conſtitutionibus pluribus quomodo principalem quis inueniat 59.23
Conſuetudo in naturam 97.16
Conſuetudine agi quę dicantur 96.7
Conſultatio 31.22
Contrariæ leges. 58.10
Contrariorum ſcientia ad quæ utilis. 13.1
Controuerſiæ 31.19
ex Cõuerſatione facile qualis quiſq; ſit colligi 81.15
Corax 2.7
Corynthū nauigare, nõ eſt omnium. prouerb. 18.4
Corporis bona. 79.20
Corporis magnitudo aut paruitas 78.6
Craſſi elegans dictū. 72. 10
Cupiditas, iucundi fons 97.22
Cupiditate fieri quę dicantur 96.16
Curſor 78.14

D

Definitiua conſtitutio. 48.3. et 50.22
Defunctorū laus. 83. 2. 22
Dei laus propria qualis 85.11
Deliberatio de quibus 68. 7
Deliberantium finis. 66. 20
Deliberatiuū genus 39. 5
Deliberatiui generis duo officia 66.7
Deliberatiui generis finis 38.13
Demonſtratiuum genus 39.7
Demonſtratiui generis finis 38.15. & 72.1. proprium. 91. 4
Demonſtratiui generis ratio 71.15
Demonſtratiuo generi ineſſe etiam perſuaſionem 37.8

Demoſthenes Platonis & Calliſtrati auditor 13.20
Deprecatio 55.9
Demoſthenis induſtria 17.19
Deprecatio apud iudices nulla 55.12
Depulſio 92.19
Deſidiæ plures ſectatores 16.1
Dialectica & rhetorica quid differāt. 7.15
Dialecticæ imago. 8.9
Dialecticę materia. 30. 12
Dialecticæ propoſitum 8.15
Diana parientium prę ſes 88.1
Diſcendum cito. 24.1
Diſpoſitio 40.5
Diuidendi ratio. 64.21
Diuitiarū laus 79.12
Diuorum laus 85 15
Dubitationi omni adiuncta cōtradictio. 69. 15

E

ELocutio 40.6
Eloquentia uirgo. 19. 1
Eloquētiæ fundamentum ſapientia. 20.17
Eloquentiæ uirtus prę cipua, perſpicuitas. 18. 10
Empedocles rhetoricæ inuentor 2.5
Errores 106.5
Euathlus 14.2
Euenus Parius 2.15
Euripidis elegans dictum 18.18
Exemplorū uſus max. in deliberatione. 69.20
Exordij ratio 64.19

F

FActi qualitas. 53. 12
Factorum cauſæ quot, & quæ. 95.18
Familiæ laus 79.5
Finis quod 27.8
Finis & officium admixta inuicē. 25.7.14
Fines duo in oratore inſpiciendi 29.1

Firmamentum. 62.19. & 63. 13
Fœminarũ laus. 79.9
Formæ gratia. 20.19. & 21. 11
Formæ laus. 77.23
Fortuna 95.21
Fortuna fieri quæ dicantur 95.20
Fortunæ omnia ferè humana referri accepta 80.5
Fortitudinis fines. 76. 8
Fortitudinis ſpecies. 73. 22
Fortuna aduerſa fieri quæ dicatur. 106.7
Fortunæ bõa. 78.19.23
Fortunæ non fidendum 76. 18
Funerum ſumptus per Solonem ſublatus. 83. 19
Funebris laudatio. 83. 2. inde. & 84. 2
G.
Generalia capita. 62. 1
Generalis conſtitutio. 48. 6. & 52. 6
Genus quid 52.10
Glorioſa quæ 79.16
Gorgias. 2. 9. 22. eius honores 14.4
Gręcæ literę Romanis primum inuiſæ. 5.6
H.
Hermagoras. 43.4
Hiſtrionicæ uſus. 23. 12
Homeri locus 98.16
Honeſtum 72.4
Honoris partes. 79.20
Hyperides orator. 20. 20
Hypotheſis 31.23
I
Imaginatio 98.5
Imitatio omnis exẽplari minor 15.17
Imperij cupiditas omnib. natura inſita. 99. 6
Incidens ſtatus quis. 60. 10
Inconſiſtentia 42.23
Infirmatio 63.23

Inge-

Ingenium 21.15
Iniuria 106.10
Iniuria affici plerunq; ſoliti qui 102.18
Iniuria afficientes. 100. 13
Iniuria quomodo maior minorúe cognoſcatur 107.1
Iniuriæ amplificatio. 107.17 (104.15
Iniuriæ determinatio.
Iniuriæ obnoxiorum diuiſio 194.21
in Iniuriæ tractatione quæ ſpectanda. 94. 21
Iniuriam facere quid. 95.3. & 105. 2
Intentio 92.21
Inuentio. 40. 3 41. 22
Ira fieri quæ dicantur. 96. 13
Iraſci etiam iucũdum quandoq; 98.15
Iſocrates 13.23
Iſocratis præclarum dictum 19.7
Ithyphallus 88.4
Iucundũ quid, eiusq; partes 97.10
Iucundorum cognitio rhetori neceſſaria 97.7
Iudex ab arbitro quid differat 106.19
Iudicatio.63.7.&.62.8
Iudiciale genus 39.3
Iudicialis generis finis 38.10. & 92.21. ratio ac præſtantia. 92. 7
Iudicialis generis propria 108. 6
Iudicium 40. 18
Iuga Iuno 88.1
Iupiter adultus 87.23
Iuno adulta. 87.23. iuga & cinxia 88.1
Iuris ratiocinatio quatuor modis 53.13
Iuridicialis cõſtitutio. 52.17. & 53.5. abſoluta. 53.7. aſſumptiua. ead. 10. 23
Iuſti partes. 104. 17. & 105. 12
Iuſtitiæ ſpecies 73.23
Iuſtitiæ fines 76.10
Iuuenum forma laudabilis

bilis quæ 78.1
Iuuentutis laus 82.4
L
LAcones nutrire comam ſoliti. 75.6
in Laudando non ſemper ueritatem exigi. 76. 3 (22
Laudatio quid. 75. 13.
Laus omnis ex actionibus 75.12
Laus uirtutis propria. 72. 7
Liberorum laus. 79.6
Legitima conſtitutio. 56. 23
Literarum inuentum plus'ne profit memoriæ an obſit. 11.22
Luctator 78.15
Lyſias primus dicendi artem profeſſus. 2.11
M
MAlus omnis, ſtultus 20.14
Maſculorũ laus. 79.8
Materia quid 29.17
Matrimonij laus. 87.11
Medici officium 25.1
Memoria 40.8
Mentis habitũ in corporis ſtatu cerni. 82.1
Mercurius eloquentiæ deus 1.14
Merula ad merulam. 81. 16
Metum malorũ quàm bonorũ ſpem plus habere uirium. 70. 17
Mœroris iucunditas. 99. 15
Morũ ſimilitudo pluri mum perſuadet. 68.9
Munera honoris ſigna 80.1
N
NArrãdi ratio. 64.20
Natura fieri quæ dicantur 95.23
Natura nouerca. 16.15
Negotialis cõſtitutio. 52.17. & 56. 9
Neſtor Homericus. 2.2
Nobilitatis laus. 79.1
Non ex omni ligno Mercurius, prouerb. 20. 11

L. Octaci-

O
L. Octacilius 5.16
Officium 24. 16. & 25. 10
Oppoſitorum diſcipli na eadem 100.10
Optice 9.1
Ordo 41.1
Oratiōis partes. 64.10
Oratoris duo fines. 28. 22
Oratoris partes 41.4
Oratori neceſſaria uirtutū & uitiorū cognitio 76.5
Oratori perfecto neceſſaria omniū rerū cognitio 30.17
Oſtentatió quatenus uitanda 19.5
Oſtentationis moleſtia 91.18
P
Pancratiaſtes 78.17
Pentathlus. 88.17
Periclis Suada 3.6
Πείσαστις 35.1
Perſpectiua 9.1
Perſpicuitas præcipua eloquētiæ uirtus. 18.10
Pertunda 88.3 (2
Phœnix Homericus. 1.
Phryne ſcortum. 20.19
Piſiſtratus 3.8
L. Plocius Gallus primus Romę Latinus rhetor 5.9
Pœna 96.14
Polus 2.16
Præſcriptio 59.8
Prema 88.3
Principalis ſtatus quis 60. 9
Probatio in quibus ſita 93.15
Prodicus Chius 2.22
Pronunciatio 40.9
Protagoras Abderites. 2. 21
Prudentiæ fines 76.7
Prudentiæ ſpecies. 73. (21
Pudor 81.21
Pueritiæ laus 81.4
Pugil 78.15
Pulchritudo quātum eloquentię adferat momenti 20.19. inde
Purgatio 55.4

Quæ

Q

QVæſtio 61.20
Quæſtio ciuilis. 31. 8
Quæſtio infinita. 31. 22. finita 32. 11
Quæſtio ſumma quæ. 62. 2
Qualitas abſoluta, aſſumptiua. uide Iuridicialis.

R.

RAtio. 62. 5. Ratione fieri quæ dicantur 96.8
Rationalis cõſtitutio. 52. 14
Ratiõalis. 57.7. & 58.3
Relatio criminis. 54.13
Remotio criminis. 54. 19
Rhetor qualis eſſe debeat 18. 5
Rhetores urbe eiecti. 4. 11
Rhetorica quid 6. 6
Rhetorica duplex. 6.15
Rhetorica an ars. 9.14. an neceſſaria. 15.8
Rhetorica an utilis, ridicula quæſtio. 11.12
Rhetorica & dialectica q̃d differant. 7.15
Rhetoricæ candidatos quę ſcire prius oporteat 22. 22
Rhetoricæ candidati, quales eſſe debeant. 20. 10
Rhetoricæ finis. 26. 3. & 27.20. imago. 8. 11. materia. 29.12. officiũ. 24.20. origo. 1.2 partes quinq;. 39.10. & 40. 3. propoſitũ. 8.17. propriũ. 12.20. utilitas. 12.16. inde
Rhetoricæ partium inuentores 2.8

S.

SAlluſtij procœmia. 91. 16
Sanitatis commendatio 77.21
Sapphûs dictũ ad Alceum 74.21
Sapientia ab eloquentia diuiſa Socrati. 3. 17

Sapientia

Sapientia eloquentiæ fundamentũ. 20.17
Sapiẽtia eadem cũ eloquentia olim habita 3.14
Satietatis mater ſimilitudo 99.19
Scriptum & ſententia. 57.6. 11
Senectutis laus. 82.17
Senes bis pueri, qui. 82. 21
Senum forma laudabilis quæ 78.5
Similitudo ſatietatis mater 99.19
Socrates 3.17
Sol gignendi autor & deus 11.20
Solitudo infelicitatis mater 89.5
Solon 3.8
Specialia capita 61.23
Sponte facere 95.4
Status.46.5. uide Conſtitutio
Suada Periclis 3.6
Subigus 88.3
Suaſionis loci 68.21
Suaſoria nihil ferè aliud quàm comparatio 69.14
Syllogiſmus 58.3

T

Tamus, eiusq; de literarum uſu ſententia 11.23
Temperantiæ ſpecies. 74 2
Temperantiæ fines. 76. 9
Thalaſſius 88.2
Theodorus Byzantius 2.14
Theſis 31.23
Thraſymachus 2.22
Thucydides 3.8
Tiſias 2.7
Translatio.59.9.unde fiat. 59.10
Translatiua conſtitutio.48.9.ſiue translatiuus ſtatus. 58.20
Tydeus Homericus. 78. 9

V

Verecundia 81.17
Vi agi quæ dicantur

tur 96.5
Viciſſitudinis iucun= ditas 99.18
Virium laus 78.10
Vincere iucundum. 98. 18
Virginenſis 88.3
Virilis ætatis laus. 82. 12
Virorum forma lauda bilis quæ 78.3
Vituperandi eadem quæ laudandi ratio 84. 19
Virtus quid. 72.5. & 73. 10
Virtus ſumma in quo ſita 72.16
Virtute ſola iniuſte u= ti homines nō poſſe 12. 13
Virtutes 21.17
Virtutum condimen= tum quod 74.6
Virtutum uitiorumq; fines 76.7
Virtutū IIII ſpecies. 73. 6
Vltio 96.15
Vltio iucunda 98.17
Voluptas quid. 97.13
Voluptate frui 98.4
Vrbis laus 85.20
Vſus dicendi opt. arti= fex 23.18
Vtile quid. 67.14. pub licum. 18. priuatū. 21
Vtilium cognitio ne= ceſſaria rhetori. 97.7

Z

Zenonis de diale= cticæ & rhetori cæ diſcrimine ſen= tentia 7.17

FINIS.

IANI PARRHASII NEAPOLITANI VIRI DOCTISSIMI RHETORICAE Compendium.

A QVIBVS PRIMVM ET INuenta Rhetorica, & celebrata. Cap. 1.

RH Etoricam nemo dubitat ab ipſa natura ſumpſiſſe originem: quippe quam homines ſtatim geniti acceperint, eiq; operã dederint, ut qua à cæteris animantibus ſe diuiſos eſſe cognoſcerent. Vrbium conditores, quiq; leges tulerunt, illam primi creduntur exercuiſſe: eaq; duce feros animos effeciſſe patientes ſocietatis, & cœtus. Hinc ex obſeruatione, quum quæ recta, quæ'ue ſequenda, quæ fugienda, plana iam eſſent, initium arti eſt factum: uſus deinde cõfirmauit. Aegyptij, qui ſe primos hominum eſſe uolunt, Mercurio acceptam referũt: Aegyptijsq; poëtæ aſtipulantur, eloquentiæ

Rhetoricæ origo.

A illum

illum deum celebrantes. Et quamuis apud Home*rũ & præceptor ſit* Phœnix, *& orator* Neſtor, *triaq; dicendi genera, atq; iuuenes inter certamina eloquentes appareant:putauit tamen* Ariſtoteles, *Empedoclem inuentorẽ extitiſſe. Vtcũq;, quum in Sicilia ſublatis tyrannis priuatæ res longo interuallo iudicijs repeterentur,* Corax *et* Tiſias *Siculi prima præcepta de ea arte tradiderũt. quos* Gorgias *ſequutus, ridiculè apud* Platonem *à Socrate interrogatiunculis in arctũ compactis agitatur.* Lyſias *primus dicendi artem eſt profeſſus:* Antipho *primus omnium ſcripſit, magnã in ea re laudem (teſte* Thucydide*) conſecutus.* Probationem *& confutationem,* Theodorus Byzantius *induxit: ut* Euenus Parius *collaudationes & uituperationes:* Polus *uerborum geminationes, inſignes ſententias, comparationes, ſimilitudinesq;.* Chalcedonius *orator in ira ſedanda incitandáque, inq; commiſerationibus à ſenectute & paupertate, præſertim incommodis, excelluit.* Communes locos Protagoras Abderites, Gorgias *Leontinus,* Prodicus *Chius,* Thraſymachus *Chalcedonius, primi tractarunt.*

Partiũ Rhetoricæ inuẽtores.

QVALIS PRIMVM APVD Athenienſes eloquentiæ uſus ac ſtudium.

Cap. 2.

Athenis primum monumentis & literis oratio mandari cœpta eſt: neq; ante Periclem (cuius in labris Suada creditur habitaſſe) et Thucydidē (licet Piſiſtratus, et Solon, Cliſtheneſq; celebrentur) quicquam ornati habuit oratio. nec mirum, ſi ad adultas Athenas uix ſuos uidetur habuiſſe profeſſores Rhetorica: quum illi ijdē eſſent bene dicendi, qui et recte faciendi magiſtri: neq; aliud cogitādi pronunciandiq; ratio, uiſq; dicendi, quàm quæ ſapientia, nominaretur. Sed quū nōnulli eſſent, q doctrina & ingenio abundarent, à re autem ciuili negocioq; abhorrerent, Socrates commune nomen eripuit, ſapientiamq; ſentiendi, et ornatè dicendi ſcientiā, re cohærentes ſeparauit: quoddāq; diſsidium ortū eſt linguæ et cordis, ut ex alijs ſapere, ex alijs dicere diſceremus. Hinc, tanq̄ flumina ex Apennino, ſic ex communi ſapientiæ iugo ſunt doctrinarū facta diuortia: quæ poſtea qui cōiunxere, ij ſunt Socrates.

qui meritò ſibi in ea arte primas uendicarunt.

QVALE PRIMVM APVD Romanos. Cap.3.

APud Romanos, *qui L.Bruti, M.Valerij, Menenij Agrippæ, Appij Claudij, &* poſtremo Cethegi (*ut Enniano utamur uerbo*) *Suadæ medullæ res geſtas accuratius perlegerit, nō ibit inficias, cū ipſa ſimul urbe eloquentiā natam educatamq; eſſe:eamq;* Romanæ *linguæ ſuauitatem, ut uel ea una rempub. adminiſtrauerit.* Nam *quod urbe eiecti ſint* Rhetores, Fannio Strabone, *Valerio Meßala Coſ. deq; ijs* Gn. Domitius *Aenobarbus,* L. Licinius *Craſſus cenſores edixerunt, uti* Romæ *ne eſſent:non ideo ars ipſa damnata eſt, ſed artifices improbati:qui quum tenui eſſent doctrina, nihil iuuentutem docere poterant, niſi ut auderent (quod etiam bonis rebus coniunctū, fugiendum eſt) nec* Rhetoricæ *ab illis, ſed impudentiæ ludus eßet cōſtitutus.* Accedebat, *quod quū maiores qd liberos diſcere, quos in ludos itare uellent, inſtituiſſent:ea noua, quæ præter conſuetudinem ac morem fierent, recta non uidebantur. Marte etiam*

Rhetores urbe eiecti.

geni-

genitus Populus, tanquam deſidiæ altricem reſpuebant. Et quia à Græcis petenda erat, ægrè ferebant ab illis quicquam accipere: indignum putantes, quos armis rerumq́; gloria uiciſſent, aliqua tamen in re fateri ſuperiores. Vnde ſi qui literas callebant Græcas, magna eas induſtria diſſimulabant, ne apud ſuos ciues autoritatē imminuerent. Paulatim tamē utilis honeſtaq́; apparuit: primusq́; L. Plocius Gallus, ſub ipſius L. Craſſi extremis temporibus, eo ipſo die quo Valerius Catullus natus eſt, docere eam latinè cœpit: ad quem ingens cōcurſus. Aegrè ferebat Cicero, non & idem ſibi licere: quod doctiſſimorū autoritate teneretur, qui extimarent, Græcis exercitationibus ali melius ingenia poſſe. L. deinde *Voltacilius, q Gn. Pompeiū docuit, primusq́; libertinorū hiſtoriā nō niſi ab honeſtiſſimis tractari ſolitam ſcribere auſus eſt, rhetoricā artem profeſſus eſt: tantumq́; breui interiecto tempore ſumpſit incrementi, ut Cicero iam ſenior, cum Hircio & Panſa grandibus prætextatis, in ea ſe exercuerit, eáque duce patris patriæ appellationem ſit conſecutus.

Octacilius: ita Sueto. de Clar. rhet.

QVID SIT RHETORICA. Cap. 4.

IPſa autem Rhetorica quid ſit, doctorũ ſolet ingenia exercere: quum non eodem eam modo pleriq; definiãt. Cumq́; ea ſit, quæ uerborum figurarumq́; dignitate, inuentionis ratione, diſponendi uſu, memoriæ firmitate, actionis gratia, ita hominem armat, ut de quacunq; re ſuppoſita aptè dicat. Plato ait eſſe artem ſermone flexanimam: Ariſtoteles uim, qua in unaquaque re quid probabile eſſe perſpicitur: nonnulli uero perſuadendi, multi bene dicendi ſcientiam: plures, ciuilis ſcientiæ partem: uarieq́; demũ definiere. Nos quò facilius eius uis perſpiciatur, duplicem obſeruamus eſſe rhetoricam, propriã ſcilicet & cõmunẽ. cõmunis, bene dicendi ſcientia eſt: ꝓpria, bene dicendi in rebus tantũ ciuilibus, appoſitè ad perſuadendũ. multũq́; intereſſe inter utrãq;. nam neq; eadem materia, neq; idem finis officiũq́; eſt utriusq;: quia nec eadẽ inuentione nitũtur. Generali enim, topica analyticáq; poſteriora ſeruiunt ad inueniendũ: propriæ uero inuentio, ad tria tantum genera cauſarum arctatur. Generalis autem

Rhetorica duplex.

rheto-

rhetoricæ nulla præcepta ab autoribus deſcripta ſunt: uel quod nulla materia diſtans ab humanis rebus excogitari poteſt, quæ in aliquo ex tribus generibus propriæ rhetoricæ aliqua ſaltē ex parte non cadat: uel quia quæ de generali dicenda eſſent, ex propriæ præceptis facile intelligi poſſent. Hanc igitur propriam ex ſententia M. *Tullij breuiter & circūſcriptè definiamus, partem eſſe ciuilis ſcientiæ, id eſt politicæ. ciuilis autem rationis una pars eſt, quæ in opere ſine tumultu: altera, quæ in quæſtionibus liteq; cōſiſtit, cuius magna et ampla pars artificioſa eloquētia.*

QVID INTER RHETORICAM & dialecticam. Cap. 5.

ET *quoniā dialecticæ cognatā putat Ariſtoteles, age ſi lubet qd inter ſe differāt inſpiciamus.* Notum *eſt illud* Zenonis, *qui manu prolata utriuſque uim expreſſit. ambæ enim ad unum ferè eundemq; finem argumentationes reperiunt: nec ſecum, ſed ad alios agunt. ſolæq; ex omnibus ſcientijs, de cōtrarijs ratiocinantur. neutra determinata quapiam re, quomodo ſe habeat, ſcientia eſt: ſed facultates quædā ſunt inueniendarū rationū. hinc idem quaſi habēt ſubiectū: ut*

ſi diuidas, neutra perfectè ſciẽtia eſſe appareat, quum certum & proprium ſubiectum nullũ habeant ſeorſum. Sed tamẽ Dialectica genere quodã dicendi exili aridoq́;, ſtrictim, uerbisq́; rudioribus, dum fidem facere uult, petit aduerſarium: Rhetorica fuſo, liquido, profluenti ſermone, uerborũq́; lenocinio idem efficere contendit. illa interrogatiunculis & quaſi punctis hoſtẽ ferit, inſidijsq́; pertentat: unde in læua illi manu ſerpens ſpiris immanibus inuolutus, dextra formula quædam latentibus hamis munita pingebãtur. hæc latius dimicat, nec laqueis captat, ſed in aciem prodit, concitat, premit, palantesq́; hoſtes agit: ob quæ meritò galeata, enſemq́; dextra fulmineum coruſcans effingitur. Diſcrepant autem inter ſe propoſito. nam Dialectica, præcepta habet generalia, ad argumentationes inueniendas, nulli certo generi præfixa: Rhetorica, non niſi ad tria genera cauſarum argumentationes rimatur, eam'que ob cauſam præcepta Rhetorica ſunt locis Dialecticis arctiora: quod Rhetoricæ propoſitum eſt contractius. itidemq́; ferè à Dialectica diſtat Rhetorica, quod

Dialecticæ & rhetoricæ imago.

Optice & Perſpectiua à Geometria. Eſt & illud, quòd quũ Rhetorica plures habeat partes, ſine quibus ne conſtare quidē poteſt: Dialectica ſola inuentione, diſpoſitione longe ab illius diuerſa, contenta eſt. acciditq; dialectico, ut apparenti ſyllogiſmo uti nequeat: fit enim ſtatim cauillator, ſi eum prudens elegerit. At oratori tam eo quod eſt, quàm quod apparet, uti permiſſum eſt: dum tamen perſuadeat, ad quod unum omnis nititur ars oratoria.

AN RHETORICA SIT ars. Cap. 6.

Eſt & alia inter eruditos cōtrouerſia, ſitne ars rhetorica: ſuosq; habet quæq; ſententia acerrimos defenſores. tantisq; animis nonnulli ex artiũ numero eam explodunt, ut ne cõuitijs quidem & ſcriptis in eam calumnijs temperarint: illis maxime niſi argumentis, quod ars rerũ ſit quæ ſciuntur, rhetorica opinionibus conſtet, nō ſcientia: nec cognitis penitusq; perſpectis rebus, et nunq̃ fallentibus, ad unumq; finem ſpectãtibus cõtineatur, ut nec ſemper ueris agat: duæq; ſemper ſint cauſæ, ut neceſſe ſit alterã falſum tu- Ars.

eri. Addunt et illud, ob uaria dictionis genera ad uulgarẽ popularemq́; ſenſum accõmodanda, nullam artẽ eſſe poſſe. Atq; id poſtremo obijciũt, caput totius rhetoricæ eſſe dicere: quod ipſum arte tradi non poteſt. Ad quæ ſingula ne articulatim occurramus, in cauſa nobis eſt Quintilianus, qui libro ſecundo omnes ſententias confutando, eò rem deduxit, ut artem eſſe quiuis rationis particeps fateatur. Nec mirum. licet enim à natura ſit ipſa rhetorica, quando illa nihil perfecti mortalibus largita eſt, quæ ab hominibus ad eam ſtudio & diſciplina iuuandam excogitata ſunt, merito artis nomine comprehenduntur. Nam ſi antea omnia diſperſa erant & diſsipata, atq; ob id ipſũ ignota, quædamq́; inde adhibita extrinſecus eſt diligentia, quæ rem diſſolutam diuulſamq́; conglutinaret: præcepta ad pertractandos animos, uoluntatesq́; excipiendas, quæq́; in uſu ac ratione dicendi eſſent ex doctiſsimorum conſuetudine obſeruaret, certamq́; uiam, certum ordinem, certũ finem ſtatueret, eaq́; omnia uerbis deſignaret, geſtib. illuſtraret, partibus diſtribueret: certe rem diligentius inueſtigãti, ars eſſe apparebit.

ut

ut quod multi exercitatione aut habitu, plerique etiam temere factitarent, id ad certam regulam redactum ſit: qua duce idipſum adipiſcamur, quod illi caſu conſuetudineq́; ſunt conſequuti: quod ipſum artis eſt officium.

QVOD VTILIS SIT RHEtorica. Cap. 7.

SEd de arte ferendum fortaſſe. Illud ne libe ri quidem hominis eſt pati, ut in diſceptationem ueniat, utilis'ne ſit Rhetorica*: et, ſi dijs placet, boni'ne an mali plus hominibus conferat. Nam quòd obijciunt, nocere eam ſæpe rebus publicis, quòd defendere poßit improbos, accuſare bonos, quodq́; ea duce maximæ ſeditiones inteſtinaq́; bella exoriantur: cur non & hi tam ſeueri iudices rem militarem, medicinam, aquã, ignẽ, ferrum deniq́;, quæ omnia ſæpe nocent, execrantur? Ineptißimi ſanè homines: qui nõ uiderint, nihil eſſe quod aliquando non noceat: ut ipſe & gignendi autor & deus* Sol*, obeſſe plerumq́; ſatis feratur: & ut literarum apud* Aegyptios *inuentori aſſerenti, literas memoriæ & ſapientiæ remedio fore, reſpondit* Tamus *rex, illarum uſum* Tamus.

ex

ex recordationis negligentia obliuionem in animis diſcentium pariturum: quod externis confiſi homines monimentis, res ipſas intus animo non reuoluerent: ſapientiæ autem opinionẽ potius q̃ ueritatem per literas dari, quòd nullo duce edocti, periti uulgò uiderentur, qui uix primoribus eam labris guſtaſſent: fierentq́; moleſtiſsimi, non ſapientia ipſa, ſed opinione ſuffulti. Quod ſi, quæ nocere aliquid poteſt, damnandum eſt: age elimi nentur & literæ, quòd in illis pauxillulũ incõmo di perſpexerit Tamus. Quàm rectè, ut cætera omnia, Ariſtoteles aſſerit, omnibus bonis (excepta uirtute) etiam præſtantiſsimis, ut uiribus, ualetudine, diuitijs, imperio, iuſte & iniuſte homines uti: neceſſariò fieri, ut ex ipſis bonis ſumma utilitas percipi non poſsit. Rhetorica autem ob id maximè utilis eſt, quòd in iudicijs uel ſola iuſtum tutari poteſt, nec pati ut ueritas obruatur. natura enim homines à iuſtitia declinamus: Rhetoricæq́; proprium eſt, res iuſtas perſuadere. Nam ſcire quid iuſtum ſit, ad res ciuiles nõ ſatis eſt, niſi idipſum eloqui poſsimus, rationẽq́; ſciamus contrariorum: non ut malis utamur, ſed

Rhetoricæ proprium.

ne

ne ab illis imprudenter capiamur. Adde quod ſi uirtus eſt habitus (ut nouo uerbo utamur) electiuus, in mediocritate exiſtens: rhetoricæq́; potiſſima pars in boni inuentione conſiſtit, ſine qua ne uita qdem hominū eſſe poteſt. & dubitamus adhuc, quin rhetoricam edocti, melius faciliusq́; ad uirtutem perueniant? Neq; enim uelle ſat eſt: quæ ratio præcipit, tenenda ſunt. quæ autem ratio in omnibus humanis negotijs præcipiat, nulla ars niſi ſola rhetoricæ inuentio docet. Quod ſi utilem fatemur eſſe rhetoricam tam rebus publicis, quàm hominibus ad uirtutē tendentibus: quis adeò expers iudicij eſt, qui neget ſummam in ea dignitatem conſiſtere: aut quicq̃ dignius quàm id diſcere, quo hominum mentes regamus, & quo ſoli cæteris præſtemus, in ea re qua ipſi cæteris præſtāt animalibus? Hæc multos extrema fortuna ad ſummos honores euexit, in hac ſe ſummates uiri exercuerunt: hac allectus Demoſthenes quum ad Platonem itaret adoleſcens, audito Calliſtrato rhetore ſubſtitit: & Platonem, dij boni quem uirum, quanti iudicij uir, reliquit? Hac incitatus Ariſtoteles, quòd Iſocrates clarorū uirorū

plenas

plenas ſcholas haberet, ſummos illos libros de hac arte cõpoſuit: hac impulſus Euathlus, *artem quam edidit decem millib. numûm de* Protagora *didicit*. Nam *quid attinet honores* Gorgiæ *Leontino habitos recenſere? quum etiam ſtatuam auream ſolidam in templo* Apollinis Delphici *habuerit*. Nec *mirum, quũ nulla res ſit dignior, nulla maior, nulla quæ plura adiumenta doctrinæ deſideret: loquimur de perfecta*. Neque *enim natura rei, niſi perfecta ante oculos ponatur, qualis quantáue ſit, intelligi poteſt: ſine qua uix ſuas regiones finesq; tutari poteſt quælibet ſcientia. ad quam quum tantus hominum fiat concurſus, paucíq; perueniant, quanta eius ſit magnitudo difficultasq; coniicitur: quæ ſcilicet res plurimas compræhendat, in quibus ſingulis elaborare ſit difficillimum. ut ſi in quacunq; arte qui excellentes fuerunt, digni cenſeantur, qui in hac pedem paululum promouerint, quamuis laudem meriti iudicentur. Equidem ſi quibuſdam legibus immutabili neceßitate conſtrictis dicendi ars cõtineretur, non modò dignitatẽ in ea eſſe, ſed ne quidem rem ingenio dignã exiſtimarem:*

ſed

ſed quũ pleraq; mutentur cauſis, temporibus, locis, occaſione, neceſsitate, uarieq; ad rerũ momenta conuerſantur, magno opus eſt cõſilio. quod qui habuerit, in eo magnam eſſe dignitatem oportet.

SIT'NE ARS NECESſaria. Cap. 8.

S*It utilis digna'que ſuo arbitratu rhetorica: negarunt tamen eam nonnulli neceſſariã, poſſeq; homines ſine ea ad ſummam eloquentiam peruenire contendunt. Si enim ars ex obſeruatione eorum quæ eloquentes homines facerent, inuenta eſt: quomodo aiunt, ſine arte eloquentia non comparabitur? quum ipſam artem conſtet ex eloquentia natam: ſatis eſſe naturam ad ea adipiſcenda quæ affectamus, præſertim quũ nihil aliud ferè ars ſit quàm naturæ imitatrix. Illud uero abſurdum eſt, quum omnis imitatio minor ſit exemplari, credere nõ ſatis eſſe naturã ad ea perficienda, quæ de ſe pfecta eſſent. Quin et ipſam artem irrident, quæ iudicij facultatisq; præcepta cõdere, ingenij animiq; motus ad excogitandũ acutos & ad narrandum plenos & uberes comprehendere auſa ſit: ſuaq; contenti natura, magna ſtipati* Ars naturæ æmula.

cohorte

cohorte (quippe qui deſidiæ plures habeant ſectatores) nihil ex arte faciunt, nec loquuntur: maioremq́; adeò nobis bilem mouent, quòd ſic in artē inuehuntur, quaſi ars diſceßionem fecerit à natura, & non illi primas (ut æquum eſt) tradat: quæ ſic partes tuetur ſuas, ut ſe ab illa ortam, ſineq́; ea (quippe quam pro materia habeat) nihil ſe poſſe fateatur. Et profectò rem diligenter indaganti, mediocres à natura, perfecti conſummatiq́; plura ab arte cepiſſe uidebuntur. ut enim fœcundæ ſegetes non fruges ſolum, ſed & herbas effundunt frugibus inimicißimas: ſic feracia ingenia, niſi diſciplinis exculta ſint, prodeſſe rarò, nocere autem poterunt ſæpißimè. Multis in rebus natura inuenta eſt hominibus nouerca: ſed potißimum, quod nihil unquam perfecti dedit. præſtat ars, quæ illa inuidit: & ſi qua bona ſūt, cultu reddit meliora. Et ſanè mihi uidetur ars naturæ conſeruandæ cauſa inuenta, quæ id quod à natura datum eſt, quia fortuitum, nec ſemper paratum ſit, tuetur: & quicquid deeſt, acquirit, manuq́; apprehenſum hominem ducit. Eſt enim ars certior dux quàm natura, certis innixa rationibus,

Ars quàm natura certior dux.

bus, quæ ordinem habent, & quaſdam minime errare patientes uias. Nec *defuere ingenij beneficio præſtantes uiri, qui quum nullam artem noſſent, tamen haud perperam ſcripſiſſe uideantur. quin & maior in illis uis apparet, quum illo ſuo impetu ferantur, nec ulla frangantur diuiſione, nulla arte tẽperentur: ſed furore ſemp. æquo impulſi, rumpant, trahãt, illidant.* Attamẽ *hi ſunt, qui cum quærendis tum cogitandis rebus miſerè torquentur, et nunc initia, nunc fines meditantur: ac uelut imperiti nautæ, incerto mari iactantur, nunc hàc nunc illàc aggrediuntur: eaq́; tandem perficiunt, non quæ optima, ſed quæ primũ ſe obtulere. ideoq́; maioris copiæ putantur: quòd indocti dicunt omnia, docti nõ niſi meliora et neceſſaria.* Quòd *ſi fuere aliqui naturæ habitu propè diuino, qui ſibi uiã fecerint: pauci tamẽ ſunt, quos æquus amauit Iupiter.* Nos *artẽ ſectemur, nitamur illi:*Demoſthenis*q́; exemplo, naturæ impedimenta diligentia induſtriaq́; ſuperemus, naturæ que noſtræ quandam adijciamus doctrinæ confirmationem, unde optimi euadamus.* **Demoſthenis iduſtria.**

QVAE PRAESTARE OPORteat Rhetorica. Cap. 9.

MVltum tamen refert, quo quis duce ad eam utatur. neq; enim eſt omnium, Corinthum nauigare. Ante omnia, moribus eum optimis eſſe oporteat, qui eam docet artem: quam, niſi uir bonus, aſſequi nemo poßit. Sit in docendo ſimplex, ne nouum adhuc animum aut cõfundat, aut deterreat. facilis luciduſq; ſit ad intelligendũ: nam potißima eloquentiæ uirtus eſt, perſpicacitas. quapropter doctißimum eſſe eum oportet: quò enim deterior eſt quiſq;, eo ſit obſcurior. In cæteris ſcientijs pulchrum eſt, diſtare ab imperitorum intelligentia: in dicendo uero uitiũ uel maximum eſt, à uulgari genere orationis abhorrere. Non ſit affectatæ ſubtilitatis, nec circa quæq; ambitioſè laboret, ne per ambages diſcutientem fatiget. Illud Euripidis meminerit, à Socrate uſurpatum: ,, Qua in re clarus quiſq; eſt, in ,, ea ſe exerceat, & diei partem illi plurimam im,, pendat, ut ipſe ſe ſuperet. Gaudeat, ſi ad doctrinam prouocetur: nec turpe putet docere alios, id quod ipſis fuerit diſcere honeſtißimum. meminerit

Rhetor qualis eſſe debeat.

rit tamen uirginem eſſe intactam eloquentiam, nec turpi lucello proſtituendam. tuncq; laborum ſuorum fructum ſat magnum capere ſe ſciat, quum occaſionem adipiſcitur publicandi quæ di dicerit, ſine oſtentationis nota: qua caret, qui nō ingerit ſe, ſed inuitatur ut proferat, ſuo tamē loco. Iſocrates, qui primus ſub numeros uerba ire coëgit, cum in conuiuio à ſodalibus rogaretur, ut aliquid in mediū de eloquentiæ ſuæ fonte proferret, hāc ueniam deprecatus eſt: Quæ præ" ſens, inquit, locus & tempus exigit, ego non cal" leo: quæ ego calleo, nec loco præſenti apta ſunt," nec tēpori. Præformet materiā, monſtret uiam, qua recte ſine ullius adminiculo ad eloquentiam poßint addiſcentes peruenire. ſurgentibus propaginibus non inuideat: quæ nouit, candide & ſimpliciter in notitiam rogantium proferat. Nec *ambitioſe detineat, quo quæ ſcit precioſiora magis uideantur.* Remotas *hiſtorias, inanes fabulas, & quod quiſque uel contemptißimus dixerit, non doceat: nec ingenia melius alijs uacatura, detineat atque obruat. quibus deliramentis plenos iam tunc eſſe grammaticorum commen-*

Eloquentia uirgo.

Iſocratis dictum.

tarios, conquerebantur Seneca et Quintilianus. Exerceat poſtremò diſcẽtes, inſtet, moleſtus ſit, poteſtatemq́; adipiſcendæ rhetoricæ non minus in diſcentium, quàm docentium diligentia, oſtendat conſiſtere.

QVALES ESSE DEBEANT Rhetoricę candidati. Cap. 10.

AGe *nunc uiciſſim, quales eſſe debeant Rhetoricæ candidati, inſpiciamus. neq; enim ex omni ligno fit Mercurius. Mali nihil in ea proficient: cum quia mens uitijs occupata, pulcherrimi operis ſtudio uacare non poteſt: tum quia omnem malum, ſtultum eſſe oportet. ſtulti autem iudicio carent, & conſilio: quibus maxime nititur ars rhetorica. nam ut cæterarum rerum, ſic etiam eloquentiæ fundamentum eſt ſapentia. Sit liberaliter inſtitutus, bonis corporis apprime ornatus.* Phryne. *Phrynem meretricem Athenienſes prudentiſſimi eloquẽtiſſimiq́;, nõ tam Hyperidis oratione, quanquã admirabili, perſuaſi, quàm uiſo eius pectore (quod ſpecioſiſſimum, diducta ueſte nudauerat) abſoluerunt.* Alcibiades. *Alcibiades, cui R.*

P.

P. reſponſo Apollinis, tanquam fortiſsimo Græcorum ſtatuam in comitio erexit, populum Athenienſem pulchritudine potiſsime habuit ſibi obnoxium. Nec mirum, ſi illi populo placent, quos eximia ſpecie natura donare dignata eſt: quum credatur cœleſtis animus in corpus uenturus, dignum prius ſibi metari hoſpitium: uel quò uenerit, pro habitu ſuo ſibi fingere habitaculum, unde aliud ex altero creſcat: & quum ſe pariter iunxerint, utraque maiora ſint. Vtcunque, ſatis conſtat, mirum eſſe quantum gratiæ forma maieſtasq́; corporis ſibi conciliet. Dotibus idem animi ſit inſtructus, & illis quæ ingenerantur appellanturq́; non uoluntariæ: ut docilitas, memoria, quæ ferè omnia appellantur uno ingenij nomine: & illis, quæ in uoluntate poſitæ, proprio nomine uirtutes dicuntur. Ante omnia tamen ingenio opus eſt: quod quibuſdam animi atq; ingenij motibus eget oratio, qui ad excogitandum acuti, ad explicandum ornandumq́; uberes, et ad memoriam firmi ſint & diuturni. magnamq́; in oratione poſsident artem facetiæ, lepores, laceſſendi reſpondendiq́; celeritas, ſubtili urbanitate

 coniuncta:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

coniuncta: quæ omnia non niſi à ſummi ingenij uiro tractari poſſunt. Doctorum *uirorum conſuetudine delectetur, more ueterum domum frequentet, & tanquam ab oraculo reſponſa efflagitet: deq; homine in portu ſedente tempeſtatum ſigna, uentorum flatus reflatusq;, tuta litora, male fidas ſtationes ſciſcitetur: ut eodem nauigaturus pelago, diſcat alieno periculo, rectũ curſum tenere.* Nunquam *deniq; ſperet ſe poſſe ad rhetoricam peruenire, niſi eam eius'que artifices amauerit.*

QVAE SCIRE EOS OPORteat. Cap. II.

NEc *me præterit, immenſum quoddã infinitumq; eſſe, quod ab eo exigitur, qui ſe rhetorica arte quaſi quibuſdam ſacris initiari poſtulauerit.* Nos *tamẽ agamus pingui* Minerua, *ne rei difficultate ſtudioſos deterreamus. quæ enim poſſunt conſummatum oratorem perficere, poſt artis præcepta quiuis addiſcet, omniumq; rerum magnarumq; artium ſcientiam conſequetur.* Ad *rhetoricam quum accedet, abundet copia optimorum uerborum, eorum proprietatem teneat,*

facili

facili utatur compoſitione: antiquis uerbis, & publica nota non ſignatis, non delectetur: ne lapides loquatur: figuras cæteramq; grammaticæ ſupellectilem in mundo habeat, ut tanquam ex promptuario, nullo labore, nulla cogitatione quũ opus ſit profluat: hiſtorias, exempla, et antiquitatem omnium meminerit: nec fabulas ignoret, præſertim quæ uetuſtate fidem accepere: poëticæ ſit non imperitus: quæ deinque Grammatici profitentur, ſciat: nec muſicæ oberit tenuis cognitio. Iam ad actionem uix dici poteſt quantum afferat adiumenti, egiſſe fabulas, quum ab hiſtrione multum didicerit M. Tullius. *Dialectica, quippe quam cognatam rhetoricæ eſſe diximus, neceſſaria eſt. Illud ante omnia caueat, ne præceptis rhetoricis inſiſtendo, ſperet in ſummum uirum ſe poſſe euadere. transferat ſe ad artificem magiſtrumq; dicendi uſum. Sciat plurimum obeſſe diſcenti, nimiam artis diſciplinam. tractatio enim artis cottidie gignit aliquid: quod dum delectatione ſtudioſè inueſtigãt, in tota uita nihil aiud agunt, nec poſſunt, qui in iiſdem ſtudiis ad ſenectutem uſque detinentur. Non eſſe tardiſſi-* (*Vſus dicendi magiſter.*)

mi: quod enim quiſque cito non potuerit, nunquam omnino poterit perdiſcere. Sat ergo habeat, præcepta noſſe: ad imitationē inde ſe conferat, & exercitationem ab arte diſcat: ubi quid quærat, ubique ſint quæ ſtudeat inuenire. Cætera, in cura, cogitatione, & diligentia ſunt collo-

Ars celāda. cata. Artem ſummo ſtudio celet: quod nihil tam ex arte ſit, quàm artem non oſtentare. ſimpliciter enim manifeſta ars, ſuſpectum facit: atq; ille erit ſemper populo probabilior, qui omnino nihil didiciſſe putabitur.

QVOD SIT OFFICIVM Rhetoricæ. Cap. 12.

VErum antequàm de arte quicquam dicamus, operæprecium eſt inſpicere, quod

Officium. ſit eius officium, quis finis, quæ materia. Officiū autem appellamus, uniuſcuiuſque perſonæ actū congruentem, ſecundum mores ciuitatis. Nec recte definiri poteſt officiū ſine fine, quod omnia officia ad finem ſpectant. Eſt ergo rhetoricæ artis officium, ex ſententia M. Tullij, dicere appoſitè ad perſuaſionem: quod niſi orator, efficere poteſt nemo. quod unū eius eſt officium, nec cū

dio

alio quoquam commune: ut medici officium non eſt curare tantum, (quod multi cantu, uel præſen tia numinum curant) ſed appoſitè, ad ſanandum: quod proprium eſt medici.

QVID INTER OFFICIVM & finem. Cap. 13.

ET *quia finem officiumq́; admixta, nec alterū ſine altero definiri poſſe rectè diximus, ut facilius quæ de fine dicturi ſumus intelligantur, quid inter ſe differant diſſeramus. Officium eſt oratoris opus, quod ipſum efficitur uirtute rhetoricæ facultatis, quod in noſtra eſt poteſtate, omniaq́; continet apta ad perſuaſionē: quo ſi careas, orator bonus eſſe non poſsis.* **Officium.** *Finis eſt, ad quem opus nititur, quo poterit ſæpe fruſtrari: ut licet adhibuerit omnia officia ad perſuaſionem accommodata, non tamen optatus finis ſequatur.* **Finis.** Nec iccirco malus dicetur *orator, niſi eiuſmodi finem fuerit conſecutus: quum etiam ipſa natura, qua nihil certius, non ſemper ad optatum finem perueniat.*

QVIS RHETORICAE finis. Cap. 14.

DE fine autem ipſo magna eſt inter eruditos contentio, tot'que ferè ſententiæ quot uiri. M. Tullius (à quo latum quidem unguem digredi nec licet, nec ſi liceat libet) perſuadere ait eſſe dictione. Quintilianus, & qui ab eo ſunt, diſpeſsis uelis in Tullium feruntur, qui optimus artifex finem ſuæ artis ignorauerit: aut quia rudia quædam ei adoleſcentulo èxciderunt, idcirco meritò damnanda cenſeantur: illius'que exploſa ſententia, ſummum rhetoricæ finem eſſe aiunt bene dicere: his maximè niſi argumentationibus, quod & pecunia, & gratia, & dignitas auctoritas'que dicendi perſuadeant. atque ideo non eſſe perſuadere idoneum finem, ſed bene dicere: quod nemo facere poſsit, niſi orator. Veruntamen hi mihi non uidentur animaduertiſſe, uitatas eſſe eiuſmodi captiones à M. Tullio, eo ipſo uerbo quod addidit Dictione. neque enim pecunia, forma, & cætera id genus dictione perſuadent: ſed animos hominum alliciunt utilitatis cupiditate, aut uoluptatis, quæ

tamen

tamen ſi muta ſint, neſcio quàm facile poſſint perſuadere. Nam quæ de Phryne, Aquilio, Galba facta memorantur, non ſola perſuaſere; ſed orationi coniuncta: nec aliena, quum huiuſmodi actiones oratoris propriæ ſint. unde agere dicitur orator, & ipſa oratio actio. Iam uero illud affirmare, finem ſummum eſſe bene dicere, neſcio quàm recte ſit definitum. ſi enim finis eſt omnibus in rebus, ad quem cuncta referuntur, cuius cauſa fiunt reliqua, neque ultrà datur progredi: certe ultimus finis eſſe non poteſt bene dicere, quum nemo abnuat, bene dicendi ipſius finem eſſe perſuadere. Quod ſi in ſcholis declamatorem conſideremus, qui nullo iudice fictam cauſam agat: nemini dubium eſt, eius finem eſſe bene dicere. at ubi in foro res agitur, uera'que cauſa eſt, tentandi'que ſunt iudicum animi, & permouendi, cum'que aduerſario confligendum: quis non uidet, eius actionis finem eſſe perſuadere? Hoc ſentientes nonnulli, quia in calumniam uidebatur poſſe recidere, quod non ſemper perſuadeat orator: addiderunt, Quatenus conditio rerum perſonarumq; patiatur.

Finis.

Rhetoricæ finis perſuadere.

Rhetorica finis perſuadere. tur. Et quia non proprius uidebatur finis perſuadere, qui eſſet cũ multis cõmunis, careretq; proprietate: quod mathematici de his rebus quæ in eorum noticiam uenerint, medici de his quæ in ipſorum arte continerentur, ipſi poſtremo opifices de eo quod agerent perſuaderent: ſubiunxere, Duntaxat in ciuilibus quæſtionibus. Sed hæc uidentur mihi nimis curioſe in definitione Ciceroniana deſiderari. Licet enim non ſemper perſuadeat orator, non idcirco ſuo carebit fine: qui non in euentu, ſed in rebus ipſis (qua dum in officio ſunt, ad finem tendunt) collocatus eſt: quæ ſi fabrè adhibitæ ſint, officij ſui finem conſequuntur, etiam ſi externo illo qui in euentu poſitus eſt careant. Nam quod mathematici opificesq; perſuadeant, fatemur ſanè: ſed negamus dictione. qua ſi quãdo utantur, tum idipſum à generali rhetorica, quæ omnib. natura innata eſt, mutuantur. Erit ergo ſummus abſolutusq; finis, perſuadere dictione. Et quia duplicis finis (unius qui in rebus ipſis, alterius qui in euentu poſitus ſit) fecimus mentionem, duos aſſerimus fines in oratore inſpiciendos: alterum in oratore ipſo, in iudi

ce

ce alterum. In ipſo quidem, appoſitè dicere ad perſuaſionem: quod quid eſt aliud quàm bene dicere? In iudice uero, perſuadere: ut ni perſuadeat, finem tamen ſuum in ſe poſitum adipiſcatur, ſi appoſitè dixerit ad perſuadendum. Recte ergo Cicero: ſed nec perperam Quintilianus. hic finem in Oratore, non in euentu poſitum: ille extremum illum, extrà collocatum, in quem alius intenderet, conſiderarunt. Fines duo in Oratore inſpiciendi.

QVAE MATERIA.

Cap. 15.

NEc minor diſſenſio eſt in eius materia: illis orationem, alijs argumenta perſuaſibilia, ciuiles alijs quæſtiones ſtatuentibus. Nos, quid de ea inter optimos conueniat, aperiamus: ſi prius quid ſit ipſa materia oſtenderimus. Eſt enim materia, in qua omnis ars, & ea facultas quæ conficitur ex arte, uerſatur. Vt ergo medicinæ uulnera, & morbi: ſic rhetoricæ omnes res, quæcunque oratori ad dicendum ſubiectæ ſunt, materia appellatur. Nec obſtat, quod ſi de omnibus rebus dicat, propriam ergo non habeat materiam, ſed multiplicem: quum aliæ quoque artes mino- Materia.

minores, ut architectura & cælatura, multiplices habeant materias. Neq; idcirco non eius eſt materia, ſi in eadem uerſatur et alius: quum poſſit eadem materia multis eſſe communis. Nam quum de bono, iuſto, utiliq; diſſerit, nihil accipit à philoſopho, ſed ſuas illa res agit: quum oſtenderimus, philoſophos omiſſam hanc ab oratoribus partem occupaſſe. Deniq; ſi quid diſtet dialectica à rhetorice, non cernitur materia, quum utraq; theſim & hypotheſim habeat ſubiectum, ſed uſu differāt: quod altera interrogatiunculis, altera perpetua utatur oratione. quum Dialecticæ materia ſit, de rebus ſubiectis poſſe dicere: quis nō uidet, rhetoricæ materiā et eandē eſſe? Quòd ſi obijciant, Ergo omnium rerum peritiā continet rhetorica: negamus continere. ſed oratori perfecto neceſſariam eſſe affirmamus, ut de omni re quæcunque ſit propoſita, ornatè poſſit & copioſè dicere. At qui omnia non norit, non dicet quidem de omnibus, ſed de his tantum quæ nouerit, quæ illi amplam præſtabunt materiam, longé que melius ab ipſo oratore quàm ab illarum rerum artificibus tractabuntur.

Dialecticæ & Rhetoricæ materia.

DE

DE CIVILIBVS QVAESTIonibus, & earum generibus. Cap. 16.

SOlent autem res oratori ſubiectæ ad dicendum, à pleriſque quæſtiones ciuiles appellari: quod non omnia quæ in dubitationem uenerint, licet quæſtionem faciant, tamen ciuilem facere poßint: ſed ea ſola quæ ignorare pudor ſit: ut de iuſto, honeſto, laudibus, utili, & his ſimilibus. Nec *enim ſi de pondere alicuius rei quæratur, quod neſcire haud eſt erubeſcendum, idcirco quæſtio erit ciuilis: ſed illæ tantum, quæ communi animi conceptione percipi poterunt. in quibus præſtare debebit orator. Ciuilis uero oratio omnis in horum alterutro uerſatur genere, definita controuerſia certis perſonis ac rebus: aut infinitæ, de uniuerſo genere quærentis. illud cauſam, aut controuerſiam appellabant: eam'que tribus, lite, aut de liberatione, aut demonſtratione definiunt. hæc, quæſtio infinita, & quaſi propoſita conſultatio nominatur. hanc* Græci *theſim, illam hypotheſim*

Ciuilis quæſtio.

Cauſa.

Controuerſia.

Cõſultatio.

Theſis.

Hypotheſis. pothеſim uocant. In hac generatim aliquid quæritur, ut Expetendæ'ne ſint literæ. in illa definitæ ſunt perſonæ, conſtitutæ res: huiuſmodi ſunt, quæ in foro, ciuium cauſis, diſceptationibusq; uerſantur: ut Expetendæ'ne ſint literæ Parrhaſio, hoc tempore, quũ ludibrio habeantur literati. In cauſis omnis ferè oratoris labor cõficitur. A quæſtione auſi ſunt nõnulli oratores arcere, & intactam philoſophis reſeruare: ſed illi ipſi nõ animaduerterunt, non poſſe ad finitam perueniri, niſi prius infinita diſcuſſa ſit. Quomodo enim deliberabit Parrhaſius, an literas expetat hoc tempere, niſi prius expetendas eſſe conſtiterit? Habet ergo ſe finita ad infinitã, tanquam ſpecies ad genus: omnesq; cauſæ pendent ex genere quæſtionis. & quod in uniuerſo probatum eſt, in partem probatum eſſe neceſſe eſt. Recte, ut cætera omnia, Ariſtoteles: adoleſcentes in quæſtionibus non ad philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam rhetorum in utramque partem, ut ornatius & uberius dicere poſſent, exercebat. Non tamen in infinitas quæſtiones totum ſe dimittere debet

orator,

orator, ut etiam de ſolis magnitudine, terræ forma, mathematicisʹque omnibus onus ſuſcipiat diſſerendi. in nimis enim uaſtum pelagus ſe præcipitem daret. Circunſcribat eas modicis regionibus, eamq́; partem quæ eſt in conſuetudine uitæ, ratione reipub. ſocietate ciuili, natura moribusq́; uerſatur, comprehendat: non ut ſeparatim de eis philoſophorum more neceſſariò reſpondeat, ſed ut poßit in cauſa prudenter intexere. Ob hanc rem fuere nonnulli, qui hoc infinitũ genus ſcientia et actione diſtinguerent: ut ſcientia diuina cognoſceret, actio in homine negocijs et ciuili diſceptatione conſiſteret: & hanc quidem oratori tractandam relinquerent, illam omnino remouerent. Si ergo conuenit, quæſtionem infinitam aliqua ex parte neceſſariam eſſe oratori, de ea nulla dantur præcepta: quicquid enim uſquam de arte ſcriptum eſt, ferè omne ad cauſam, id eſt finitum genus refertur. ſed ut in cæteris artibus, quum tradita ſunt difficillima, quæ ſuperſunt, uel quia faciliora, uel quia ſimilia ſint, tradi non neceſſe eſt: ut qui leonem aut taurũ pingat egregie, cuiuſuis quadrupedis ſpeciem facile nullo du-

ce effingere poterit: ſic orator, quum rationem dicendi in cauſis adeptus fuerit, non magno labore de toto illo genere reliquarum orationum dicet. Nec eſt quod uereamur, plus difficultatis eſſe de uniuerſis generibus, quàm de ſingulorum cauſis dicere. omnium enim cæterarum rerum oratio, homini ingenioſo, & communium literarum politioris'que humanitatis non experti, ludus eſt. In cauſarum contentionibus, ubi cum aduerſario confligendum, ubi rei dominus (qui ſæpe alienus, ſæpe inimicus eſt) quaſi machinatione quadam, nunc ad iram, odium, triſticiam, læticiam, ſexcenta oppoſita, eſt detorquendus: illic magnum eſt opus, & (ut inquit Cicero) neſcio an de humanis operibus longe maximum.

DE CIRCVNSTANTIA, QVAE facit hypotheſim. Cap 17.

NVnc quoniam theſim ab hypotheſi ſeperauimus, et quomodo quæſtione uti debeat orator oſtendimus: reliquum eſt, ut quid ſit quod hypotheſim faciat, demonſtremus. Eſt enim rerum quædam circunſtantia, ſine qua nulla omnino eſſe poteſt controuerſia: eam Græci

περίστασιν appellauere. quæ quid ſit, enumeratione facilius quàm definitione deprehenditur. Sunt autem eius partes (ex quarum coniunctione quæſtiones, ut ex literis nomina fiunt) omnino ſeptem: Quis, Quid, Quando, Vbi, Cur, Quemadmodum, Quibus adminiculis. Quis perſonam oſtendit. duobus tamen modis: nomine, ut Lyſias: qualitate, ut diues, & qua fortuna, & ætate, conditione, diſciplinaq́;, & id genus infinitis comprehenduntur. Quid, factum ſignificat, uel dictum, uel cogitatum, bonum an malum, & his ſimilia. Quando, tempus innuit: ut interdiu an noctu, faſto die an nefaſto, bello an pace, libertate an tyrannide, & ſi qua eum in modum cadere poſſunt. Vbi, locum demonſtrat, ſacrum'ne an profanum. Cur, cauſam ſignificat: quæ uel primò quæſtionem conſtituit. Quemadmodum, demonſtrationem habet ex facto: uel quod fiat, futurum'ue ſit: ueluti clàm palam'ue, ui an dolo. Adminicula uero, ſignificationem habent earum rerum, per quas factum eſſe aliquid dicatur: ut laqueus, uenenum, literæ, internuncius, & quæ ſunt eiuſmodi: quorum omniũ, *Circunſtantiæ partes.*

uel plurimorum rationali concurſu, certum eſt omnem conflari ciuilem quæſtionem.

DE TRIBVS GENERIBVS cauſarum. Cap. 18.

QVum autem tam latè fuſa materia ſit rhe toricæ, illud mirum uideri ſolet pleriſq;, quomodo tam breuiter aſtrinxerint, ut inter tantum tria dicendi genera uerſetur: neq; ulla niſi de iudiciali, deliberatiuo, demonſtratiuoq; præcepta tradantur: cum concitare, obiurgari, præcipere, teſtimonium dicere, mandata exponere, hiſtoriā ſcribere, & demum innumerabilia in partes cauſarum ducenda eſſe uideantur, & proprijs inſtruenda præceptis. Veruntamen, ſi quæ tractanda ſunt oratori, proprium ſuum locum in arte habeant, nullus unquam arti erit finis: tria illa genera quum fuerint diſcuſſa, facile ex eorum fontibus hauriemus, unde quæ ſub illis non comprehenduntur iungemus: nec ſanè homini diſerto, in eiuſmodi rebus facultas ex cæteris cauſis comparata deeſſe poterit. Nam qui exhortationem conſolationemq; addunt, non uidêre, cum orator in ciuili ratione uerſetur, non eſſe oratoris conſolari,

ſolari, ſed amici & priuati hominis. nec intelligunt, ad materiam oratoris hortationem non pertinere. quum eius finis ſit perſuadere, & in hortatione nulla ſit perſuaſio, ſed quædam tantum inſtigatio. Contrà *ſunt nonnulli, & in his fortaſſe* Cicero, *qui pauciores rhetoricæ materiæ res tribuant, demonſtratiuumq́; penitus tollant: non quod nulla in eo perſuaſio ſit (magna enim ineſt: neque quicquam magis conamur laudantes aliquid, ſeu uituperantes, quàm ut tale habeatur perſuadere) ſed quia minus uideatur neceſſarium, quod unde quis laudandus uituperandus'ue ſit, facile poßit quiuis paululum in literis promotus intelligere: neq; ideo ſic tractari oporteat, quaſi nihil poßit dici ſine præceptis ſuis.* Peruicit tamē Ariſtoteles, *ex cuius auctoritate partita genera nemo auſus eſt repudiare: & meritò quidem. nihil enim eſſe poteſt, quod non ſub his tribus generibus aliqua ſaltem ex parte cadat. neque ulla ſpecies eſt, in qua non laudare & uituperare, ſuadere & diſſuadere, accuſare quid uel defendere debeamus. Etenim in ciuili quauis controuerſia, uel honeſtum, uel utile, uel iuſtum expetitur:* *Cauſarū genera tria.*

non quòd hæc poſſint diuidi, aut iuſtum utile'ue aliquid eſſe quod honeſtum non ſit: ſed quod in omni ferè actiõe, aliud alio magis emineat. Quæſtio item omnis, uel de præterito eſt, uel de futuro, uel de præſenti. Auditores quoque *ciuilium quæſtionum in tris ferè ordines diuiduntur:* Iudices, *patres, populum.* Tria *etiam ferè publicarũ actionum loca: forum, curia, roſtra. Siue ergo finem, ſiue tempus, ſiue auditorem, ſiue locum conſideres: non melius diuidi potuiſſe intelliges. Iudicialis finis eſt, iuſtum uel iniuſtum: tempus, præteritũ: (nam præterita aut accuſamus aut defendimus) auditor, iudex: locus, forum. Deliberatiui finis, utile & inutile: tempus, futurum: auditor, ſenatus: locus, curia. Demonſtratiui finis, honeſtũ et turpe: tempus, præſens: (nam omnes, ut eſt apud* Ariſtotelem, *ſecundũ ea quæ præſentia ſunt, damnant aut uituperant: hæc ſi quando cæteris utuntur temporibus, in rem præſentẽ adducunt) auditor, populus: locus, roſtra. Omnia item de quibus dicimus, aut certa ſunt, aut dubia. certa, ut cuiq; eſt animus, laudat aut uituperat: ex dubijs partim nobiſipſis ad electionem ſunt*

libera,

libera, de quibus deliberatio eſt:partim aliorum ſententiæ, de quibus lite cõtendimus. Quare tria tantum eſſe dicendi genera colliguntur: Iudiciale, *quod poſitum in controuerſia, habet in ſe accuſationem & defenſionem:* Deliberatiuum, *quod poſitum in conſultatione, habet in ſe ſuaſionem & diſſuaſionem:* Demonſtratiuum, *quod in alicuius certæ perſonæ laudem attribuitur, uel uituperationem.*

Iudiciale. Deliberatiuum. Demonſtratiuum.

PARTES RHETORICAE quinque. Cap. 19.

COgnitis generibus cauſarum, quum primum dicturus eſt orator, quoniam rebus & uerbis omnis ſermo conſtat, tria debet omnino conſiderare: quid, quo quidque loco, & quonam modo dicat. Hinc omnis uis & facultas oratoris in quinque partes eſt diſtributa. Primum reperienda ſunt quæ dicamus: inde quæ inuenta, ordine & ſumma diligentia ſuis in locis ſunt collocanda. ſed ea ſi nuda ſint, nunquam poterunt perſuadere, niſi oratione ornentur & ueſtiantur: hæc uero omnia ne intereant, memoriæ quadam firmitate ſunt ſæpienda: & ad extremum,

ne indecora uel uoce uel geſtu corrumpantur, cū dignitate & uenuſtate agenda. Sunt ergo partes Inuentio. *quinque. Inuentio, quæ rerum uerarum, uel ueri-* Diſpoſitio. *ſimilium, ad negocij fidem eſt excogitatio. Di-* Elocutio. *ſpoſitio, quæ inuenta locis neceſſarijs per ordi-* Memoria. *nem diſponat. Elocutio, qua idonea uerba & ſen-* Pronunciatio. *tentias inuentionibus diſpoſitis accōmodamus.* Memoria, *quæ rerum uerborumq́; fida eſt cuſtodia.* Pronunciatio, *quæ uocis, motus, geſtusq́;, pro rerum uerborumq́; dignitate moderatio eſt.* Nec *defuere etiam, qui hac ipſa partium diuiſione contenti non fuerint. Et alij quidem tres tantummodo eſſe uoluerũt, quod memoriam & pronunciationem natura, non arte putarent contingere: cum tamen earum præcepta dentur copioſiſsima, ſine quibus non cuiuis facile ſit ad ſuum gradum peruenire. Alij uero ſextam addidere,* Iudicium. *Inuentioni iudiciũ ſubnectentes. ſed non inueniet quiſquã copioſe ſubtiliterq́;, nec doctè diſponet, nec eloquetur ornatè, ſine iudicio: nec firmiter quidẽ meminerit, nec ſuauiter aget, ſine eo ipſo: ut fruſtra locus illi in partibus detur, ꝗ omnium partiũ ſit tanquam unicum condimentũ. Addide-*

re

re & nonnulli ordinem: quod aliud ſit diſpoſitio, quàm rerum in ordinem collocatio. Exori- Ordo. *tur ſubinde & alia quæſtio, utrum recte rhetoricæ partes dicantur, quum nonnulli oratoris appellanda cenſeant: quod eius ſit inuenire, diſponere, eloqui, &c. id ſi fiat, nihil relinquetur arti: quæ certe uis eſt perſuadendi. erit ergo oratoris, inuenire, & diſponere: rhetoricæ, inuentio & diſpoſitio: quæ cum totum conficiant, meritò partes uocabuntur.* Omnis autem earum facultas *conficitur natura, arte, exercitatione. Inuentionem enim arti ſubijciendam, clariſsimi ſcriptores obtinuerunt. Multum per ſeipſa poteſt natura: niſi tamen ab arte, ut oſtendimus, adiumenta ſuſcipiat, nihil poterit perfecti perficere. Sed nec natura, nec ars tantum habẽt uirium, ſi non adſit induſtria: nec quiſquam ſperet, præceptis aut magiſtris aſſequi poſſe* Rhetoricam. *multa opus eſt exercitatione: de qua ſuo loco à nobis præcepta deſcribentur.*

DE INVENTIONE. Cap. 20.

SI ergo prima rhetoricæ pars inuentio eſt, *ea nobis qualis eſſe debeat in omni cauſarũ*

 genere,

genere, diſcutienda eſt. Conſtat autem multis locis Inuentio: neque facile eam percipere poterimus, niſi ante omnia loca ipſa conſiderauerimus. Et quia omnis cauſa aliqua conſtitutione continetur, ipſæ primum conſtitutiones ſunt inſpiciendæ: uidendum deinde, ſimplex'ne cauſa ſit, an coniuncta: tertiò, in ratione an in ſcripto ſit controuerſia: quartò, quæſtio, ratio, iudicatio, firmamentumq́;: quintò, ſingulæ partes totius cauſæ et orationis ſunt tractandæ. Quod quum ita ſit, de conſtitutionibus ante omnia diſſeremus: ſi prius oſtenderimus, utrum cauſa conſiſtat an nõ. Fruſtra enim à nobis quærentur conſtitutiones, ſi nihil erit in quo cauſa conſiſtat.

QVAE CONTROVERSIAE non conſiſtant. Cap. 21.

Oportet autem ut cauſa conſiſtat, perſonam remq́; ex utraq; parte, aut ſanè altera afferri, rationesq́; utrinq; ueriſimiles & diuerſas adduci. quotieſcunq; hæc deerunt, tunc negabimus cauſam conſiſtere: nec cauſa quidem dici poterit, quum ſuis careat circunſtantijs. ἀσύστατα appellant Græci: nobis inconſiſtentia liceat nominare.

Aſyſtata.

nominare. Ea aut depulſionem non habent, aut impudentem habent & turpem: à quibus ne aliquando decipiamur, æquũ eſt inſpicere, in quas ſpecies diuidantur. Hermagoras, quo duce potiſſima rhetorum pars uſa eſt, quatuor modis fieri aſſerit: per æquale, unicũ, ſine circunſtantia, inexplicabile. Aequale eſt, quum eadem ex utraque parte dicuntur: ut, Duo adoleſcentes uicini formoſas uxores habebant, noctu obuiam facti media uia, accuſant ſe inuicem adulterij. Vnicũ, quum ex una parte tantum conſtat, ex altera nihil affertur: ut Leno, qua parte ſciebat uenturos adoleſcentes, foueam fecit, qua illi periere. Sine circunſtantia, quum aliquid deeſt in quæſtione, quod faciat cauſam: ut, Filium pater abdicat, neq; ulla additur cauſa abdicationis. Inexplicabile eſt, quum iudex hæret impeditus, nec finem iudicij uidet ullum: ut Lex eſt, ſeptem iudices de reo cognoſcant, maioris partis ſententia ſancta ſit. duo quendam abſoluunt, duo pecunia mulctant, tres capitis condemnant: rapitur ad pœnam, contradicit. Item, Alexander in ſomnijs admonetur, non eſſe credendum ſomnijs. Plura deinde

Aſyſtatorũ modi 4.

1 2 3 4

inde obſeruauit poſteritas curioſior: nam Con-
5 uertibile id appellatur, quum tota actio conuerti-
tur à litigantibus: neuterq; ſuis prioribus utitur ra
tionibus, ſed aduerſarij. hoc modo: Exigebat qui-
dam ab amico pecuniam cum uſura, quaſi credi-
tam: offerebat ille ſine uſura, quaſi depoſitam. In-
terim lex fertur de nouis tabulis: petit creditor
tanquam depoſitam, negat debitor tanquam credi
6 tã. Non ueriſimile eſt, quod contra opinionẽ dici
tur: ut ſi Cato ambitus accuſetur. quod tamẽ ſi in
cautè agatur, haud procul abeſt quin conſiſtat.
7 Impoßibile eſt, quum id dicitur quod ſit contra re
rum naturæ fidem: ut ſi infantem accuſemus adul
8 terij, quod cum uxore cubarit aliena. Turpe eſt,
quod omnino reijcitur: ut ſi uir precium poſcat
9 adulterij. Sine colore eſt, quum nulla cauſa facti
inuenitur: ut decem milites belli tempore ſibi pol-
lices amputauerũt, rei ſunt læſæ reipublicæ. Sunt
& aliæ ſpecies, quæ cacoſyſtata, id eſt male con- Cacoſyſtata.
1 ſiſtentia appellantur. ut Erraticum, quum aut ali-
quis error in hiſtoria eſt, aut in quauis ex circun-
2 ſtantijs. Impenſum, quum penes unum omnis iudi-
cij uis eſt, parumq; alter habet in quo dicendo ua-

lere

lere poſſit. Præiudicatum, quod iudicio omnium ante ullam ſententiam comprobatur. quæ omnia perſequi articulatim, nimis eſſet diffuſum: quum ad hæc pauca reduci facile poſſint, ſi qua ſint á nobis prætermiſſa.

DE CONSTITVTIONE.

Cap. 22.

SEd & hæc ipſa facilius intelligemus, quũ quid ſit conſtitutio, & unde nomen ſibi ſumpſerit, & quot quidem ſint, inſpexerimus. Eſt enim conſtitutio (ut rectè uult Cicero*) prima cauſarum conflictio, ex depulſione intentionis profecta: ut,* Feciſti, Non *feci, aut* Iure *feci.* Nec *illud nos moueat, quòd qui hanc ſententiam dixerunt, parum recte elocutos putet* Quintilia*nus: nec conſtitutionem eſſe primam cauſarum conflictionem, ſed quod ex prima conflictione naſcitur. quũ* Ciceroniana *definitio aperte quid ſit id de quo eſt quæſtio, genere & differentijs explicitis demonſtret: atq; ita quod definit definiturq;, inuicem conſentiant, ut conuertere liceat pari maximeq; conuenienti ſenſu.* Recte *enim explicateq; dicitur,* Prima *cauſarum conflictio ex de-*

Conſtitutio quid.

depulſione nata conſtitutio eſt: qui etiam defini endi modus apud philoſophos eſt uſitatiſſimus. Sit ergo conſtitutio, prima cauſarum conflictio: dicta, quòd illic conſtituatur quod in controuerſia ſit. eam nonnulli Statum appellauere, quod ibi quaſi ad pugnandum actionũ acies ordinata conſiſtat. Status. *Et ne nos prima illa conflictio fallat, ſcire oportet, non ſemper ex prima quæſtione conſtitutionem deduci in cauſa: quum quæſtionum aliæ ſint principales, aliæ incidentes, dum tractatur cauſa, naſcantur. Principales ſunt conſtitutiones, ex quibus naſcitur cauſa: ut, Vtrum Clodiũ iure occiderit Milo, principalis eſt: Vter alteri fecerit inſidias, incidens. Et quia incidentes ſolent nonnunquam primo loco collocari, cauendũ eſt, ne ex illis oriri putemus conſtitutiones, quæ ex potentioribus in cauſa quæſtionibus ſunt eliciendæ. Inueniendæ autem conſtitutionis ratio eſt, intentionem & depulſionem inſpicere. Neq; illud uerum eſt, eum ſemper facere conſtitutionem qui reſpondeat: quum uarium id ſit, & accidat pro conditione cauſarũ, & modò is qui agit, modò is cum quo agitur, conſtitutionẽ conficiat.*

QVOT SINT CONSTITVtiones, & quæ. Cap. 23.

CONſtitutionum ratio, ipſarumq; numerus, ita diſsidentes habet artis ſcriptores, ut uideantur † de compacto ſtudium adhibuiſſe diuerſa tradendi. Nec ſanè pauxillum inter ſe diſcrepant. unam duas'ue nonnulli, alij tres, pleriq; quatuor eſſe dixerunt: quibus multi dum diuerſas addunt, ad octauam uſque peruenere. Reliquorum tamen ſententijs conuictis, illud adhuc ſub iudici eſt, tris'ne eſſe oporteat, an quatuor: quod nos tunc facilius oſtendemus, quũ qui ſint hi ſtatus, quantus'que ſit qui excludatur, demonſtrauerimus. Nihil eſt de quo inter homines diſceptetur, ſiue ex crimine cauſa conſtet, ſiue ex controuerſia, ſiue ex deliberatione, ſiue ex perſona, ſiue ex diſputatione: in quo aut quid factum ſit, aut fiat, futurum'ue ſit, non quæratur: aut quid uocetur, aut quale ſit. Addidere quartũ, an iure agatur. ut ſint, facti, nominis, generis, actionis: & in facto coniectura, in nomine finitio, in genere qualitas, in actione ius intelligeretur. cui ſubiecta eſſet Tranſlatio. Dubitatur

† Forte, de compoſito.

enim, factum'ne ſit aliquid, & eſt Coniecturalis conſtitutio: aut conuenit de facto, ſed quo nomine appellandum ſit diſceptatur, & eſt Definitio: uel de facto nomine'que conuenit, quæritur autem de qualitate & genere negocij, & eſt Generalis. quod ſi factum, nomen, qualitas'que conſtarent, & aut is non agat, quem oporteat: aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oportet, Tranſlatiua dicitur conſtitutio. Hæc illa eſt, quæ à pleriſque excluditur, nec inter ſtatus annumeratur: ſed pars dicitur qualitatis, quod in ea ſemper ſit qualitas. nec dignam cenſent tanto honore, quæ nunquam rē ipſam, ſed modum actionemq; conſideret, ut nihil de re poßit ex ea iudicari. Contrà, qui eam quartam conſtituunt, non negant ſanè qualitatē in ea eſſe, ſed qualitati minime uolunt ſubijciendam: eam ob cauſam, quod ſi quæ in ea qualitas ſit, non ex depulſione oriatur, ut oriri debet ſtatus, ſed in iudicatione conſiſtat, quam non ſolum prima depulſio, ſed & ratio ipſa præcedit. Nec rurſus ſub qualitate comprehendi poſſe uolunt, quoniam in tranſlatione ex actione, non ex qualitate

Coniectura. Definitio. Genus. Translatio.

litate depellamus. Fuere & qui putarent, ſub fini tiua comprehendendam. Si enim agitur quo crimine quis ſit accuſandus, idem uidetur eſſe quod in definitiua ambigitur, fur'ne ſit an ſacrilegus. Sed non eadem eſt ratio. nam in definitiua, utraq; iunguntur: et ſic accuſatur ſacrilegus, ut fur etiã dicatur eſſe. In tranſlatiua uero, uno tantum accuſamus crimine, ſiue illo quod intendimus, ſiue illo ad quod reus tranſferri poſtulat actionem. Sed hæc multarum ſunt nundinarum, & quæ non una diſceptatione poſſint abſolui. Summa tamen hæc ſit, expedire diſcentibus quadripartitã fieri diuiſionẽ: uel qa facilior ſit, uel quòd defendendarũ cauſarũ ratio id exigere uidetur, ut primò ſi poteſt negemus, proximè ſi non id ꝙ obijcitur factũ aſſeramus, tertiò (quæ defenſio eſt honeſtiſſima) ſi recte factũ cõtendamus. quæ ſi deficiũt, una ſupereſt ſalus, aliquo iuris adiutorio elabendi à crimine: quod fit per tranſlationẽ.

DE STATV CONIECTVrali. Cap. 24.

CONiecturalis autem ſtatus, quod incerta coniecturis ſuſpicionibusq; indaget, di-

ctus: realisq́; à nonnullis nouo uerbo, ac neſcio an Latino, uocatus, quod in eo uideatur utrum res acta ſit: tum fit, quum quod ab uno obijcitur, alter pernegat. nec ſolum factum, ſed et dictum quærit: poteſtq́; in omnia tempora diſtribui. De præterito enim conijcimus, An ſenatores Romulum occiderint: de præſenti, Bonó ne animo erga Tullum ſit Metius: de futuro, Num ſi Alba nõ diruatur, aliquid incommodi ad Romanos ſit peruenturum. In his omnibus agit coniectura, ea fit ab aliquo manifeſto ſigno, quod lege moribusq́; liceat, nec neceſſariò rem arguat. Ac (ut apertius agamus) ſex eiuſmodi obſeruantur. aut enim de facto tantum, non de perſona conſtat: aut de perſona conſtat, non de facto: aut de de utroque non conſtat: aut ſi de facto, de uoluntate nõ conſtat: aut quum de re ipſa quæritur, non de facto aliquo, an aliquid fuerit illud de quo eſt quæſtio: aut mutua eſt accuſatio.

DE STATV DEFINITIVO.

Cap. 25.

DEfinitiuæ conſtitutioni non ex re, ſed ex modo actionis nomẽ eſt impoſitum.

Eius

Eius res eſt, nominis ambiguitas. modus actionis, eſt nominis definitio: quum de facto conuenit, & quæritur quo factum nomine ſit appellandũ. quoniam aliud alij uideatur eſſe, & idcirco alius alio nomine appellet, tunc definitiuus ſtatus exoritur. ut ſi quis ſacrum ſubripuerit ex priuato, quæritur utrum fur an ſacrilegus ſit iudicandus. In quo illud animaduertendum, ne uerbum quod cauſam facit, breuiter definiamus: ne dempto uel reprehenſo aut addito uno uerbo, definitio nobis ex manibus eripiatur. Inter doctos homines, quũ de his ipſis rebus quæ uerſantur in artibus diſputatur, illa † examuſſitata ſeruanda eſt definitio. In cauſis uero ſi definienda res eſt, omni dicendi copia eſt dilatanda. Definitionem autem quinque modis fieri obſeruauerunt: aut quum ſimplex eſt definitio: aut quum duplex eſt actio, ſiue comparatiua: aut quum duplex eſt quæſtio, ſiue coniuncta: aut quum fit ex partibus definitio: aut quum non tantum crimen negamus, uerumetiam commodum aliquod afferimus.

Forte, ex amuſſi data, uel ad amuſſim.

DE STATV GENERALI.
Cap. 26.

AT quum quid factum, & quo nomine appellari debeat conuenit: et tamē quantum, & cuiuſmodi, & omnino ſine ulla nominis cōtrouerſia quale ſit quæritur, generalis ſit conſtitutio. cui nō ex modo actionis, ut cæteris conſtitutionibus, ſed ex re, id eſt negocio nomen eſt impoſitū: quod de genere negocij ſit controuer-
Genus. *ſia. Eſt enim Genus, quo cuiuſlibet rei qualitas indicatur. huic igitur generali cōſtitutioni, quod in ea aut ex re, aut ex ſcripto controuerſia naſcatur, duas partes attribuunt: primam rationalem, alteram legitimam. Rationalis aūt conſtitutio eſt generalis, cuius cōtrouerſia ex re proficiſcitur. Eam rurſus bipartitè diuidūt. nam aut de facienda re, aut de facta quæritur: hoc iuridiciale, illud negotiale uocant. In negotiali quæritur, faciendúm ne ſit quicquam an non: deliberatiuum genus, futurumq́ tempus ſpectat. In iuridiciali, res iam facta diſcutitur: et iudiciale genus, præteritum'que tempus complectitur. Retorquentur tamen nonnunquam, ut & hæc delaberatiuum genus, futu-*

rumq́

rumq; tempus: illa, ſcilicet negocialis, iudiciale præteritumq; reſpiciant, ut ſuo loco demonſtrabitur. Age uero nunc iuridicialem, cuius controuerſia ex re iam facta proficiſcitur, inſpiciamus: negocialem poſt paulo tractaturi. In iuridiciali aut reus feciſſe quippiam, quod uetitum ſit, fatetur: aut uetitum negat. ſi negat, abſoluta eſt iuridicialis conſtitutio: ſi uero turpem rem factam fatetur, ſed aſſumpta re extranea ſe defendit, aſſumptiua conſtitutio iuridicialis appellatur. Abſoluta duobus fit modis, facti qualitate, & iuris ratiocinatione. Facti qualitas eſt, cum oſtendimus nihil nos feciſſe pernicioſum. Iuris ratiocinatio modis fit quatuor. lege, ut occidit filiũ indemnatum quis: licet id lege. more, ut apud Scythas ſexagenarij è pontibus mittũtur, Athenis id Scytha fecit, tuetur ſe more gentis ſuæ. ſecta, ut ſi diſputante philoſopho de bono mortis, ſe ipſi interficiant auditores: defendit ſe philoſophus, è ſecta ſua feciſſe. arte, ut quia pictor publicè naufragium pinxit, ſpectaculo deterriti ciues non nauigãt: accuſatur pictor læſæ reipublicæ: ſua ſe arte defendit. Aſſumptiua autem iuridicialis Iuridicialis. Abſoluta. Aſſumptiua

conſtitutio, quatuor locis diuiditur: comparatione, relatione criminis, remotione criminis, conceßione. Comparatio fit, quum facta compenſantur, & aut maiori incommodo proſpectum eſſe contendimus, aut delicto meritum comparamus: comparaturq́; id quod in crimen uocatur, ad id quo ſe reus profuiſſe aſſerit. ut quidam muro ciuitatis deturbato hoſtes fugauit, reus eſt læſæ reipublicæ. Ibi *comparatio eſt. quod enim muros deiecit, uidetur læſiſſe rempublicã: quod uerò hoſtes fugauit, uidetur profuiſſe.* Huiuſmodi *poteſt eſſe defenſio* Albini *à* Iugurtha *incluſi.*

Relatio criminis. Relatio *criminis fit, quũ in eum culpã reijcimus qui paſſus eſt, & iure factum affirmamus: quòd antea iniuria laceßierit, ut meritò uicem nos reddidiſſe dicamus, quemadmodũ de* Oreſte *in matrem, &* Milone *in* Clodium. At *ſi non in eum qui paſſus eſt, ſed in alium, uel aliud crimen tranſfertur, tunc remotio criminis appellatur: ut de eo qui porcam tenuit in fœdere cum* Numantinis.

Remotio criminis. V*nde remotio criminis duobus modis conſtat: ſi aut cauſam in alium transferamus, aut factum: uel ſi in perſonam remouemus, aut in rem, ut pu*

ta lunæ, uel tempeſtatẽ. Conceſsio eſt, qualitas uenialis, cum reus poſtulat ſibi ignoſci. ea duas habet partes, purgationem & deprecationem. In purgatione, qua negat ſe reus conſultò feciſſe, tria inſunt: imprudentia, quæ à ſcientia noſtra ali quid dimouet: caſus, qui culpam euentus exonerat: neceſsitas, quæ cogit. ut imprudentia fallat, caſus prohibeat, neceſſitas cogat. Quod ſi harũ nulla fuerit, tũc deprecatio nominatur: in qua & factum & culpa conceditur. nam in purgatione licet factum concedamus, facientis animum excuſamus. Sed deprecatio apud iudices nulla eſt, ut teſtatur Cicero pro Q. *Ligario: apud regem ſeu populum ualet. unde quia in diſceptationem cadere poteſt, condonandum nec ne ſit, non iniuria inter conſtitutiones deprecatio numeratur. in qua aſſumptiua qualitate hæc ordinis ratio eſt ſeruanda, ut feciſſe nos quidem, ſed profuiſſe dicamus: deinde, prouocatos: tertio, ab alijs impulſos fuiſſe. poſtremò, ſi ſingula defecerint, nec quicquam ſupereſt, quo factum defendat, tunc ſi poteſt uoluntas excuſanda: ſin minus, uenia poſtulanda eſt: quæ omnes partes ſunt aſſumptiuæ*

Conceſsio.

Deprecatio

Aſſumptiuæ ordo.

D 4 *qualitatis.*

qualitatis.in qua non factum iuſtum (ut in abſoluta) ſed cauſam facti iuſtam fuiſſe contendimus. Nã *in abſoluta, æqui et recti natura quæritur: in aſſumptiua uero, præmij & pœnæ ratio inueſtigatur, quibus Iuridicialis ſtatus abſoluitur. nam de præmio & pœna, quorum ratio in Iuridiciali quæritur, non minus quàm æqui & iniqui, quum præcepta dabuntur, diſſeremus.* Nunc *altera*

Negotialis. *rationalis conſtitutionis pars, quam negotialem appellari diximus, aperienda: & an aliquas ex ſe partis funderet, inſpicienda eſſet, niſi eam manifeſtã feciſſet nobis Iuridicialis. eius enim partes, tametſi præteritum tempus reſpiciunt propriè, ad deliberatiuum tamen genus & negotialem retorquentur. In negociali enim quæritur de rebus ipſis, remoto perſonarum complexu: & faciundum'ne ſit quippiam, an non, inueſtigatur: ut ſi* Hannibal *deliberet, ſepeliendi'ne ſint qui ad* Cannas *cecidere. Sed hæc ſingillatim ſuo loco, quum de præceptis agemus, oſtendentur.* Nunc *ſat ſit indicaſſe: & rationali eiusq; partibus inſpectis, legitimam conſideremus.* Eſt *autem le*

Legitima. *gitima conſtitutio, quum ex ſcripto controuerſia*

ſia naſcitur:in qua inſpiciendum,unóne an pluribus ſcriptis controuerſia oriatur. Si ex uno, aut ſcriptoris uoluntas cum ſcripto diſſentire uidetur,aut ſcriptum duas pluresúe res ſignificat: aut quum rei nulla certa lex eſt, & per ſimilitudinem legi accomodatur, primũ illud genus Scriptum & ſententia, Ambiguum *alterum,*Ratiocinationem *tertium appellamus. poteſt &* Tranſlatio *et* Definitiuus *accidere:non illæ principales, quas inter conſtitutiones numerauimus: ſed quæ tantum legales ſunt. Scriptum & ſententia eſt, quum alter utitur uerbis quæ ſcripta ſunt, alter ſcriptoris ſententiã interpretatur. eius duo ſunt modi:quum alter ſcripto,alter uoluntate contendit:aut quum uterq; omiſſo ſcripto, tantum nititur uoluntate. Ambiguum eſt, quum quid ſenſerit ſcriptor obſcurum eſt, quia duas aut plures res ſignificet.Fit aũt multis modis:aut per multimodam nominis poteſtatẽ,aut nominis diſtinctionem per ſyllabas, ut* Mileſius, & Leſius.*aut per diſcretum,aut indiſcretum:ut meretrices & ancillæ. aut per abundantiam, ut de meretrice & corona.aut per deficientiam,ut quæ uolet.deniq;* Scriptũ & ſententia. Ambiguũ.

quibuſcunq; modis uaria poteſtas & ſignificatio uerborum commutatur, per Ambiguum fieri poteſt. Ratiocinatio, quæ et ſyllogiſmus dicitur, fit & quum ex uno quod ſcriptum eſt, aliud quoque quod non eſt ſcriptum, argumentatione colligimus. eiuſmodi ſunt quinque: à ſimili, à conſequenti, à contrario, à maiore ad minus, à minore ad maius. Tranſlatio uero & Definitio, incidentes ſunt in legitima conſtitutione. Quod ſi ex pluribus ſcriptis controuerſia naſcatur, contrarias leges conſtitutionem appellamus. ea fit, quũ duæ ſunt: ut de templo Cereris, nunc plures, nunc una ſit. duplex: ut rapta raptoris mortem. quæ & ſimplex, contrarias leges facere poteſt: ut ſi duo, qui æquè fortiter fecerint, contraria & oppoſita petant.

Ratiocinatio.

Contrariæ leges.

DE STATV TRANSLATIUO. Cap. 27.

SVpereſt ultima, & quæ minus habeat poteſtatis, Tranſlatio: quippe quæ non an ſit, quid ſit, qualéue ſit, ſed an cauſa ſuſcipi debeat, cõſideret: nec in negocio ipſo uerſetur, ſed in actione tantũ conſiſtat. Vnde ſibi nomẽ accepit, quòd

Tranſlatio.

quòd de Tranſlatione actionis ſit omnis controuerſia. aut enim ab alio nos accuſari debere dicimus, aut non nos, aut non apud hos, aut non hac lege, non hoc crimine, non hac pœna, uel cæteris id genus. Illud tamen animaduertendum in Tranſlatione, quod aut omnino de commutatione aliquid, id eſt rem ſic agi non debere: aut de infirmatione actionis agitur. alterum præſcriptionem, alterum tranſlationem nominamus: illud excludit actionem, hoc differt. Fit autem Tranſlatio omnis à perſona, re, tempore, loco. A perſona, uel rei uel accuſatoris. accuſatoris, infami nō detur actio: ut ſi infamē agere poſſe negamus, uel uirum fortem accuſari. A re: ut ſi filius patrē uult accuſare affectatæ tyrannidis, et lex neget actionē filijs in patres niſi clemētiæ. A tēpore: ut ſi olim potuiſſe, nūc nō poſſe: ut de pupillo. uel ſi nūc nō poſſe, poſtea licere aſſeramus. A loco: quū alibi agere poſſe, nō ubi cauſam intēderit inſtamus. *Tranſlatio unde fiat.*

EX PLVRIBVS CONSTITVtionib. quomodo principalem quis inueniat. Cap. 28.

ET conſtitutiones quidem huiuſmodi ſunt,

inq; eas partes ſecantur, quas præſcripſimus. Sed quia alias principales, alias incidentes eſſe diximus, illud multos implicitos habet, ſi plures ſtatus in cauſa inueniantur, quem potiſsimum eligamus, quem'ue principalem eſſe iudicemus? Huic ſcrupulo facile occurri per nos poterit, ſi illud imprimis obſeruauerimus, quid ſit quod comprehendat, quid'ue ſit quod comprehendatur. qui enim alterũ in ſe habuerit, is erit principalis: qui uero quaſi membrum acceſſerit, incidens erit is iudicandus. huius proprium eſt, confirmare principalem. Quod ſi neuter comprehendatur, tunc principalis cenſendus, qui imperarit: incidens, qui ſeruierit. Si uero nuſquã aut ſeruire aut comprehendi ſtatus ullus apparuerit, tũc uterq; principalis eſt appellandus: eaq; controuerſia, quoniã duos in ſe plures'ue ſtatus amplectitur, complexiua nominatur.

Principalis

Incidens.

Cõplexiua controuerſia.

QVAE CAVSA SIMPLEX SIT, & quæ coniuncta. Cap. 29.

Atque uel ob hanc rem potiſsimum ſtatim cauſa diſcutienda eſt, ſimplex'ne ſit an coniuncta: neq; enim eadem utriuſq; eſt ratio.

quoniam

quoniam multum intereſt, utrum de una re an de pluribus agatur. Simplex, abſolutam continet quæſtionem. at Coniuncta, aut ex pluribus quæſtionibus iuncta eſt: ut quum Verres accuſatur, quod multa furatus ſit, quod ciues Romanos necarit, quod peculatũ commiſerit. aut fit ex comparatione, quum quid potiſsimum ſit conſideratur: ut utrum Cicero accuſet, uel Cæcilius. quæ cauſæ cognitio maximo eſt adiumento ad conſtitutionem inueniendam. Simplex. Coniũcta.

DE QVAESTIONE, RATIONE, iudicatione & firmamento. Cap. 30.

REperto itaq; genere cauſæ, conſtitutione ipſa, & utrum cauſa ſimplex ſit an coniuncta inſpectis, quæſtio, ratio, iudicatio, firmamentumq; ſunt cognoſcenda. nam de ſcripti & rationis controuerſia ſatis eſt à nobis eo loco demonſtratum, ubi de generali egimus conſtitutione. Quæſtionem autem quum dicimus, ſummam illam in qua cauſa uertitur, intelligi uolumus. Sunt enim pleræque minores ex ſummis dependentes, quas ſpecialia nonnulli capita appellant:

quum

quum ſummas illas, generalia nominauerint. Eſt ergo quæſtio hæc, materia, quæ ex intentione depulſioneq́; naſcitur: ut, Oreſtes *matrem iure ſe occidiſſe ait: quæſtio, an iure occiderit. Subſequitur ratio, quæ cauſam continet: quia quod factũ eſſe conſtat, per eam defenditur. ut,* Occidi *matrem, quia patrem illa meum necauerat. ex qua ratione neceſſe ad iudicationem peruenitur, quæ ex infirmatione uel confirmatione rationis naſcitur: ut,* An *oportuerit uel nocentẽ matrem à filio occidi. Atq; ad hunc ſanè modum ad iudicationem in omnibus conſtitutionibus, præterquam in coniectura, peruenitur. quomodo enim poteſt ex adiunctiõe rationis naſci iudicatio, ubi ratio nulla eſt, quia factum eſſe negatur?* Erit *ergo in coniecturali conſtitutione eadem iudicatio, quæ & quæſtio. ut ſi intentio ſit,* Occidiſti *hominem: depulſio,* Non *occidi: quæſtio et iudicatio erunt,* An *occiderit.* De *firmamento poteramus contenti eſſe ſententia* M. Tullij, *ut aſſeremus firmiſſimam eſſe argumentationem, aptiſſimam ad iudicationem: quod tamen perrarò adhibeatur, ſoliq́; proſit defenſori. accuſatorem enim*

Quæſtio ſumma.

pro

pro firmamento aſſertionem habere: ut ſi uelit Oreſtes *dicere, eiuſmodi animũ matris ſuæ fuiſſe in patrem, liberos, regnum, famamq; generis & familiæ, ut ab ea liberi ſui potiſsimum pœnas petere debuerint. Sed tamen, quum de eo ſit inter doctos controuerſia, operæprecium eſt inſpicere quid cæteri ſentiant. Iudicationem uolunt nonnulli ſummam eſſe iudicij quæſtionem, ad quã omnes rationes totius orationis conferãtur: eamq; naſci ex coniunctione rationis et firmamẽti, ac quemadmodum ab intentione & depulſione ſtatum, ſic ab ratione firmamentoq; indicationem conſtitui: quum firmamentum ſit, quod contra rationem afferatur. ut ſi ratione utatur* Oreſtes, *quod matrem interfecerit, quia illa patrem ſuum nécauerat: firmamentum aſſumat accuſator, non à filio matrem indemnatã occidi debuiſſe: ex his iudicationem oriri, Iure'ne à filio indemnatam matrẽ occidi liceat. Atq; illud obſeruatione dignum exiſtimari debet, multa contra rationem firmamenta aſſumi. unde multæ conſtitutiones incidentes oriuntur: fiuntq; item nonnullæ ab infirmatione. differt enim infirmatio à firmamento:* Iudicatio.

mamento: quia illa ſtatum mutat, hoc confirmat. Neq; *illud contemnendum, ſi plures in cauſa conſtitutiones ſint, totidem quæſtiones, rationes, iudicationes, firmamentumq́; neceſſariò reperiri.* Nec *defuere, qui ſtatum, iudicationem, quæſtionem, firmamentumq́; idem eſſe uoluerint. Sed ea eſt difficilior ad diſcendum uia.* Nos *trita rhetorum orbita ſequemur, ne nimia diligentia auditorum animos confundamus.*

PARTES ORATIONIS.

Cap. 31.

I*Am appetit tempus, ut quoniã expoſita ſunt à nobis quæ antequàm manus orationi imponeretur pertractanda uiderentur, ad partes orationis ordinandas deſcendamus, in quas omnis oratio diſtribuatur. Eas aliter alij digerunt. pleriq; quatuor, multi quinq;, ſex nonnulli, uel etiã ſeptem eſſe contendunt. Iubent enim primum* Ex*ordiri, ut beneuolum docilemq́; eum qui audiat faciamus:* N*arrare deinde, aperte, breuiter, uериſimiliter: poſt autem* Diuidere, *aut proponere, noſtraq́; argumentis & rationibus firmare:* Refu*tare demum contraria: tum uero alij* Concluſio*nem*

nem collocant: alij antequàm perorent, ordinandi augendiq́; cauſa Digredi, concludere, ac poſtremò perorare præcipiũt. Atque ita colligunt, Exordium, Narrationem, Diuiſionem, Confirmationem, Confutationẽ, Concluſionem: quas qui ad quatuor partes redigi uolunt, ſublata Digreßione, uno Confutationis nomine Diuiſionẽ Confirmationem´que comprehendunt. Qui in quinq; diſtribuunt, nec Digreßionem nominant, nec Confutationem: ſeptimam qui excludunt, omnino remouent Digreßionem. Quibus rebus omnis inuentio contineretur, ſatis arbitror à nobis ſuperius expoſitum. Sed quoniã pleraq; demonſtrata magis quàm enarrata ſunt, ratio exigit, locus´que ipſe expoſtulat, ut eoſdem rurſus calculos reſumamus, ac unamquamq; rem pertractemus, ſic ut nihil implicitum, nihil indiſcuſſum relinquatur. Erit igitur futuri noſtri laboris ratio, ut primò tria cauſarum genera, Deliberatiuum, Demonſtratiuum, Iudicialeq́;, quomodo agitanda, quo ordine, qua uia, quibus demũ adminiculis fulciẽda ſint, inſpiciamus: mox ipſas orationis partes, quomodo ad quamlibet partem ap-

plicētur, enarremus. Atq; ut ordinem ſequamur, deliberatiuum genus in medium adducamus.

DE GENERE DELIBERATIUO. Cap. 32.

Nihil eſt quod in genere deliberatiuo tam ualeat, quàm dignitas & auctoritas dicentis. quum enim duobus conſtet officijs, ſuadēdi & diſſuadendi, grauiſſimam exigit perſonam: ne qua dicātur, quæ ab eo qui dicat diſſentire uideantur. nec niſi ſapientis diſertiq́; eſt, de maximis rebus ſuum explicare conſiliū, mente prouidere, auctoritate probare, oratione perſuadere. Primum ergo in eo genere præceptum eſt, licet cum cæteris commune, proprium tamen deliberatiui: ut qui dicturus eſt, rem locumq́; conſideret, ſeq́; ipſum ſuamq́; iudicet exiſtimationem, uitet potiſſimum ingenij oſtentationiſq́; ſuſpicionem: finemq́; deliberantiū, ad quem omnem rationem conferat orationis, ante oculos habeat. Eum autem nonnulli bonum eſſe uolūt, utile alij: multi dignitatem, quod nihil dignum eſſe poßit, quòd non utile ſit: nec è contrario. Sed quia plerumq; apud imperitos oratio habenda eſt, quibus

Deliberantium finis.

bus ſæpe honeſta non ſatis utilia uidentur, putantq́; ea inter ſe diſcrepare, agamus pingui Mineruа, finemq́; eſſe Bonum *cum utilitate coniunctum ſtatuamus.* E*ſt autem bonum, non ſolum quod propter ſe & propter aliud bonum expetitur, ſed & id quo poſito bona conſequuntur, aut ſimul, aut poſtea: ſimul, ut ambulatio eſt cauſa ſanitatis.* A*tq́; ut carptim indicemus, uirtus, ſanitas, forma, diuitiæ, amicitia, honor, dicendi agendiq́; facultas, quæq́; ſub ingenij nomine comprehenduntur, ſcientiæ demum ac artes omnes, & ex his bonis quæ potiora ſunt: poſtremo uiuere ipſum: quod plures ſunt qui damnent, quàm qui fugiant.* V*tile uero eſt, aut præſentium bonorum conſeruatio, aut abſentium comparatio, aut malorum inſtantium propulſatio, aut futurorum incommodorum prohibitio.* D*iuiditur tamẽ hoc utile bifariam, in publicum & priuatum.* P*ublica utilia ſunt, concordia, uires ad bellum, pecuniæ, prouentuum copia, ſociorum uirtus & multitudo, cæteraq́; id genus.* P*riuata autem, in animum diuiduntur, & corpus, & res extrarias. animo utiles ſunt, uirtutes: corpori, robur, formæ digni*

Bonum.

Vtile.

tas, bona ualetudo: extraria ſunt, amici, pecuniæ, poſſeßiones. Et quia omnis deliberatio plerumque de rebus publicis fit, uolenti conſilium dare omnes rerum publicarũ ſpecies ſunt cognoſcendæ: mores, leges, commoda uniuſcuiuſque diſtinguenda: earũ fines tenendi: elaborandumq́; ut ad mores ciuitatis uel accedamus, uel quàm maxime accedere uideamur. Mirum eſt enim, quantum morum ſimilitudo perſuadeat. Nec ſanè tam multa ſunt de quibus publicè conſultamus, ut enarrari: aut tam obſcura, ut minimè comprehendi poſſint. non enim de omnibus bonis malisq́; conſulimus: ſed de his quæ fieri poſſunt, uel non fieri: quorum origo ac cauſa in nobis ſit. nam de his quæ neceſſariò ſunt aut erũt, quæq́; fieri nequeunt, nulla omnino eſt deliberatio. Ergo in republica aut de ſacris conſultamus, aut de legibus, aut de ſocietatibus & fœderibus, aut de bello & pace, aut de opibus ciuitatis: quæ omnia niſi probè calluerit is qui dicturus eſt, niſi ſciat & rationibus probare, et ab utili honeſto iucũdo, et quod nunc aiunt poßibili argumentari, fruſtra ſperet ſe poſſe unquam perſuadere. Debet enim ante

Delibera-tio de quibus.

Suaſionis loci.

omnia

omnia in ſuadendo honeſtum utileq́; proponi. Placuit & quibuſdam iucundum: quod uoluptatem ipſam animalia ſecundum naturam appetant, unde iucunda & ſpecioſa inter bona numerantur. ſed iucunditate ſola, ubi nec honor nec utilitas ſit, neminem moueri arbitramur. Facilitas etiam inſpicienda eſt, uel temporis, uel doloris. Neceßitas poſtremo indaganda. Illudq́; multum proderit conſultori, ſi propoſita deliberatione perſpexerit, utrum cauſa ſimplex ſit, id eſt propter ipſam ſolam rem de qua agitur conſultetur, an extrinſecus alijs cauſis interuenientibus coniuncta, ut poßit omnibus partibus reſpondere. Et quoniam ſuaſoria nihil ferè eſt aliud, quàm cõparatio (ubi enim dubitatio, ibi & contradictioni locum eſſe oportet) maxima ars adhibenda, in honeſto utili faciliq́; cõparandis: ne in eo quod petimus minus cõmodi, quàm per quod petimus incommodi ſit, in tempore, loco, perſonis, agendi genere ac modo. Ob eam rem uſus exemplorũ nulli magis materiæ conuenit: cũ plerumq; futura præteritis reſpondeant, facileq́; homines experimentis ducantur ad conſtituendum. Cauendum tamen, ne con

traria exempla adducamus. quod ſit, quoties non eſt eadem deliberantium ratio, ac eorum quos in medium adducimus. non enim mouetur populus ſenatorum exemplo, nec tyranni regum, nec reges tyrannorũ, ſed quiſq; ſimiliũ. Quod ſi apud ſimiles habenda ſemper eſſet oratio, facile uel ipſa ſimilitudo perſuaderet. Verum cum plerũq; & bonis parum decora, & malis honeſta ſuadenda ſint: magno opus ingenio eſt, ut in contrariam omnino ſententiam auditores rapiamus. Abſtinendum eſt ergo, ſi quid boni malis perſuadere uelimus, ne exprobremus diuerſam uitæ ſectam: aut honeſti laude, quam turpis non reſpicit, inuitemus: laus proponenda eſt, uulgiq; opinio, utilitas conſecutura. obijciendus etiam, ſi diuerſa fecerit, metus. neſcio enim quo pacto plus habet ui rium malorum metus, quàm ſpes bonorum. Si uero bonis parum decora perſuadere tentemus, utilitas in acie conſtituenda eſt: neceſſitati plurimũ dandum, & indignationi: nec fatendum, inhoneſtum eſſe. color quidam adhibendus eſt: quod nemo tam malus ſit, qui uideri uelit. & qui de re turpi deliberat, id ſolũ quærit, quomodo quàm minimum

mum

mum peccare uideatur. In hoc genere uerſantur ſuaſoriæ illæ, quibus quondam Romana iuuentus exercebatur. Poſſunt et proſopopœiæ collocari: eius propriũ eſt, de futuro conſultare: quandoq; de præterito qualitas ei maxime aptatur. Eſt & frequens coniectura, finitioq́; nonnunquam incidit, & legitimæ poſſunt ſæpe interuenire conſtitutiones. Procœmium uel nullum, uel breue eſſe debet: dicendi genus grandius, & illuſtrius adhibendum: maximaq́; pars orationis admouenda eſt ad animorũ motus, plurimaq́; eloquentiæ lumina oſtendenda, licet Theophraſto refragrante.

GENVS DEMONSTRAtiuum. Cap. 33.

DEmõſtratiui generis præcepta dare, ſunt qui minime neceſſarium eſſe arbitrentur: quod uix cenſeatur quiſquã eſſe qui neſciat, quæ ſint in homine laudanda. cum tamen in uſu ſit cottidiano, eoq́; tandem excreuerit, principibus doctorum conſilia aſpernantibus, peſſimoq́; dicendi genere in iudicijs inducto, ut ferè ſolum hodie materiam præſtet oratoribus: non erit abre, ſi hunc ipſum etiam locum diligentius tractauerimus.

uerimus. Eius finem honeſtum eſſe diximus. ſiue enim quenquam laudamus, ſiue uituperamus, id quod dicimus honeſtum eſſe contendimus. Nam *honeſtum bonum eſt, ideoq́; laudabile. Cumq́; uirtus uis quædã ſit, quæ res bonas producat, et conſeruet: neceſſe eſt, uirtutem honeſtum eſſe.* Propri*a ergo laus uirtutis eſt. quæ enim fortuna dat, uel natura, propriam in ſe laudem non habent, optandaq́; magis quàm laudanda ſunt.* Vn*de eleganter ſanè* Craſſus *cenſor, quum contra* Domitium *collegam orationem haberet, principiò dixit: quæ natura aut fortuna darentur hominibus, in his rebus ſe uinci, poſſe æquo animo pati: quæ ipſi ſibi homines parare poſſent, in his rebus ſe pati uinci non poſſe.* Sed *tamen cum ſumma uirtus in bonorum naturæ fortunæq́; uſu ac moderatione cernatur, ut non extuliſſe ſeſe in poteſtate, non fuiſſe inſolentem in uictoria, non ſuperbum glorioſumq́; in forma, nõ ſe prætuliſſe alijs propter abundantiam fortunæ: ut opes non ſuperbiæ uideantur ac libidini, ſed bonitati ac moderationi facultatem et materiam præſtitiſſe: operæprecium eſt inſpicere, quæcunq; in homine*

ne bona ſint, ſiue animi, ſiue corporis, uel fortunæ: ut his præcognitis, unde nobis laudes uel uituperationes ſumendæ ſint intelligamus. Prima *ergo laudatio, & potiſsima, à uirtutis debet fonte proficiſci, ſine qua nihil laudari poteſt.* Eam *in quatuor ſpecies diuiſere ſapientes: in prudentiam, iuſtitiam, temperantiam, & fortitudinem.* *Virtutum ſpecies 4.* *præclaræ omnes quidem, et quæ mutuis adiuuentur auxilijs: aptiores tamen quædam ad laudationem. Si enim uirtus benè faciendi quædã uis eſt, certe eas partes quæ plurimum conferunt hominibus, maximas eſſe oportet. unde iuſtitia & fortitudo iucundiſsimæ in laudationibus, quæ domi foriſq; præſto ſint, nec tam poſsidentibus quàm generi humano fructuoſæ putentur: prudentia uero, ac temperantia, tenues ac pro nihilo exiſtimantur. iungendæ tamen ſunt omnes: quod non minus ſæpe moueant mirabilia, quàm iucunda & grata.* Et *quoniam ſingularum uirtutum quædã ſunt partes et officia, propterea euagandum eſt. habet enim in ſe* Prudentia *memoriam, intelligentiam, prouidentiam:* Fortitudo, *perſeuerantiam, patientiam, fidentiam, magnificentiã:* Iuſtitia, *re*

ligionem, pietatem, obſeruantiam, ueritatem, ulti onem: Temperantia uero continentiam, clementiam, modeſtiamq́; complectitur. His omnibus ſuo ordine res geſtas accommodare, nō tam glorioſum quàm difficile iudicatur. Optimū autē uirtutum condimentū, quod ornatiſsimè dici & facillimè audiri poſsit, ſemper eſt exiſtimatum, ſi aliquid magno labore ac periculo ſine aliquo emolumento præmio'ue factum oſtendatur. ea enim præſtantis eſſe uiri uirtus cenſetur, quæ fructuoſa alijs, ipſi autem laborioſa, aut periculoſa, uel certe gratuita ſit. Et ne uirtutum tantummodo partibus immoremur, magna ſylua oritur laudationum, ex hominum uita, deq; his quæ cottidie in ea emergunt: ut ſunt illa omnia quibus præmia ſunt propoſita, ſemperq́; in præmijs honor pecuniæ præponitur. Commendantur & quæ mortuos magis conſequuntur, quàm uiuos: ne ſui gratia quenquam aliquid facere arbitremur. Nec minus ſolent celebrari, quæ egiſſe nullus eſt metus, neq; pudor: quemadmodū fertur Alceo Sapphò reſpondiſſe. Monimenta item, & publicæ laudationes, in defunctis potiſsimum, magnam faciunt

ad-

admirationem: quanquam laudis ſiunt gratia, nec nobis, ſed alijs utilitati ſunt: præſertim bene meritis. Sunt etiam mores conſuetudinesq́ue earum gentium, apud quas laudamus, conſiderandæ. in quibus excellentem eſſe, nõ infima laus eſt: ut apud Lacones, nutrire comas. cum enim cæſariatus nihil poßit facere ſeruile, libertatis id eſſe indiciũ Lacones exiſtimabant. Deniq; nihil ſeruile agere: de ſuo uiuere, neq; tanquam mures edere alienum cibum: ſequi quæ eligenda ſint ab optimis, quæq́; per ſe bona ſint, debitis non ſunt laudibus defraudanda. Sed quia omnis laus ex actionibus oritur: neque aliud laudatio eſt, quàm oratio quædã uirtutis magnitudinẽ demonſtrans, cuius propriũ eſt bonũ agere ex electione: itaq; quilibet laudandus eſt, ut ea quæ egerit, ratione iudicioq; feciſſe oſtendamus. quod faciemus facillime, ſi eandem rem factam declarauerimus multa ſimilia habere, quæ ſiunt uirtutis & iudicij, ut quæq; indiciũ uel maximũ præſeferunt: in his uero quæ perraró accidunt, multum caſus, multũ ſibi uendicat fortuna. Propria demũ laus, actionũ eſt. Nã quæ extrà afferuntur, ut nobilitas & doctrina, operibus

bus aſtipulantur: quod uëriſimile ſit bonos è bonis naſci, beneq́; educari. Quoniam autem in laudando non ſemper ueritas exigitur, ſæpé que quod uitio datur eſt defendendum: nihil eſt quod tam ſit oratori neceſſarium, quàm uirtutum uitiorumq́; fines uiciniamq́; noſſe. Quoties terminos excedit Prudentia, curioſum facit, timidũ, aſtutum, ſuſpicioſum, uarium, uerſipellem: Fortitudo minacem, inflatum, inquietum, temerariũ: Temperantia parcum, tenacem, auarum: Iuſtitia ſuperſtitioſum, durum, crudelem. ex his ſi qua fuerint quæ laudes, finitimæ ſunt uirtuti aſcribẽda: & maledicus, liber: iracundus, ſimplex: arrogans, magnificus: temerarius, fortis: prodigus, liberalis appellandi. Poſtremo quæcunq́; in deliberatiuo honeſta eſſe oſtendimus, ea omnia orationis ratione commutata laudem conſtituunt. ut ſi admoneamus, ſecundæ non eſſe fidendum fortunæ, ſed his quæ à nobis ſint: optima laudandi ratio erit, ſi aliquem non in fortuna, ſed in ſeipſo plurimum conſtituiſſe ſpei enarrauerimus. Atq́; hæc omnia, cæteraq́; demonſtrationi neceſſaria, maiora ſanè uidebuntur, ſi per amplificationem

Virtutum fines.

Amplificandi ratio.

extollentur

extollentur. quemadmodũ enim exempla in deliberatione, enthymemata in iudiciali ſunt aptiſſima: ſic amplificatio (cum excellere ſit ex his quæ maxime laudantur) mirum eſt quantam uim habeat in demonſtratione. ea deducitur, ſi ſolum feciſſe aliquid, ſi primum, ſi cum paucis, ſi quomodo maximè factum ſit, oſtenderimus. Quinetiam ex tempore, occaſione, uirtute, inuentione rerum quæ ad uirtutem ducant, ex cæterorum iudicio (ut de L. Bruto et Popilia, primum Romæ in funere laudatis) amplificatio conſtituetur. Quod ſi nihil habeas eiuſmodi, multum afferet auxilij comparatio: ſi tamen ad illuſtres laudéq; dignos fiat, ſeruetúrq; ordo & modeſtia comparandi. Et animi quidem bona, quǽq; ex uirtutum fonte deriuantur, hac potiſſimum uia commendationem ſuſcipiunt. Sed non eadem in corporis fortunǽq; bonis laudandi ratio: quæ habuiſſe, nõ penitus laudi datur: uerum honeſtè uſum eſſe, id eſt palmarium. Sunt autem corporis bona, ſanitas forma, uires, & cætera id genus. Sanitas commendatur firma, diuturna, & quæ non arte conſtet, aut abſtinentia. Forma non eadem in omni

Cõparatio.

Corporis bona.

ætate:

ætate: in iuuenibus hilaritas, læticia, nitor, corpus ad curſum laboresq́; ſubeundos commodum delectat: in uiris ualidũ corpus, toris conſpicuũ, & oris maieſtate admirabile commendatur: ſenes uiridi ſenectute, nullis onuſta incommodis (quæ ſecum ferre ſolet) laudatur: Magnitudo corporis, ſi ſibi reſpondet, nec motus impedit, celebratur: Paruitas, niſi multis magnisq́; redimatur uirtutibus, ut Tydeus ille Homericus, contemptui eſt. Vires motu cognoſcuntur: aut trahendo, aut pellendo, aut eleuando, aut deijciendo, aut concutiendo, omnisq́; uirtus corporis ex magnitudine roboris, uelocitateq́; conſtat. qui pedes uelociter agit, curſor: qui premere poteſt, & retinere, luctator: qui pulſando pellere, pugil: qui utrumq; hoc, id eſt retinere & premere poteſt, pancratiaſtes: qui omnia ſimul, pentathlus. Magna ſanè ſunt hæc cum geſtu, tum ſpectatu bona. ſed niſi externis illis, id eſt fortunæ bonis, optimis ad felicitatẽ inſtrumentis, adiuuentur, manca reddetur felicitas, et quæ undecũq; laudari nõ poteſt. Vnde non mediocris laus ex fortunæ bonis deriuatur: ea ſunt nobilitas, liberi, amicitiæ, gloria,

Fortunæ bona.

gloria, honor, & quæ ſequuntur. Nobilitas, & ciuitatis eſt, & familiæ. illa uetuſtate, libertate, felicitate, rebusq́; geſtis commendatur: hæc, illis ipſis rebus, uiris etiam ac mulieribus, uirtute aut diuitijs, aut alia re laudata claris, legitimisq́; nata libus celebratur. Liberi magno ſunt ornamento, ſi multi ſunt, ſi (ut uno complectar uerbo) boni. mares ultra corporis bona, temperantia placent, & fortitudine: fœminæ, forma, proceritate, pudicitia, lanificio. Amicitiæ multorum bonorum expetũtur: quæ bona fore amico putent, propter ipſum amicũ agant. Diuitiæ nummis, agris, prædijs, ſupellectili, mancipijs, armentisq́; continentur: multitudine, magnitudine, pulchritudine, excellentia laudantur. ea firma, amœna, utiliaq́; eſſe debent. Gloriæ datur, haberi in precio, putariq́; id conſecutum, quod uel plures uel boni prudentes deſiderent. gloria ditiſſimos beneficos plerumq́; ſequitur, uel eos qui conferre queant beneficia. Honoris autem partes ſunt, ſacra, celebrationes, decantationes carminum, panegyrici, ſepulchra, ſtatuæ, alimenta publicè: & quæ barbaris placent, adorationes, inclinationes, ce-

diq́;

diq́; loco & ſemita.muneraq́; ipſa, quæ honoris ſigna ſunt: nec eadem apud omnes honorata, ſed quemadmodum tulerit conſuetudo. Nec his tantum terminis continetur fortuna: omnia ferè illi humana referuntur †, præſertim ſi non permanent, & ea potiſsimum quæ præter rationem accidunt: ut pericula euaſiſſe, theſaurū inueniſſe, formoſum inter deformes fratres natum eſſe. deniq; quicquid inuidioſum eſt, id profectum à ſe fortuna gloriatur. Etſi (quoad potuimus) ea omnia ſint à nobis expoſita, unde hominis laus peti debet: cum tamen non una eademq́; inſiſtendum ſit uia, & modò per ætatis gradus, modò per uirtutes ſit diſcurrendum: enumeratis uirtutibus, operæprecium eſt tempora in laudationibus obſeruare. Ea alij alio fortaſſe, nos ſeptenario numero comprehendi arbitramur. & primum quidem ante hominē natum (cum is qui laudatur nuſquā eſſet gentium) pueritiamq́;, inde adoleſcentiam, iuuentutem, uirilem ætatem, ſenectamq́; collocamus: hisq́; poſtremum illud ipſum addimus, quod finem hominis inſequitur. Ante hominem patria, parentes, maioresq́; erunt. huic loco conueniunt

Forte, referuntur accepta.

Aetatum ratio.

niunt aptiſsimè auguria, uaticiniaq́;, & reſponſa, quæ futuram præſagiunt claritatem: ut de Achille fabulantur poëtæ, deq́; tot uiris claris annales utraq; lingua teſtantur. Pueritia maximarum uirtutum uberrima ſemina habere debet, quæ facile poßit docilitate perſpicere: educatio plurimũ affert adiumenti: placet alacritas, quam decor habitusq́; corporis libero dignus honeſtet.

Adoleſcentiam temperantia maximè commendat, & fortitudo. Si tamen cæterarum uirtutum radices appareant, exercitatio et duritia eius propria ſunt ætatis. omnium uitiorũ auaritia eſt perniciosiſsima: quippe cum ætate creſcat, & ad rogum uſq; comes adſit ſempiterna. Qualis autem quiſq; futurus ſit, facile ex his quorum conſuetudine delectatur, cognoſcitur. Merula enim (ut in ueteri prouerbio) ad merulam. Verecundia enim quædam peculiaris dos eſſe cenſetur: hinc pietas oritur, hinc honor erga ſenes, hinc tuta fit caſtitas. Bonus ergo regendæ caſtitatis magiſter eſt pudor, qui ſe prætendit, & (quæ prima pericula ſunt) pudicitiam tentari nõ ſinit. Hæc illa inquã, motum, geſtum, inceſſum decet. nam mentis ha-

bitus, in corporis ſtatu cernitur. Hæc linguæ frænum adhibet, oculis dat leges, aurium fores cuſtodit: hæc deniq; ſola eſt, quæ adoleſcentiam tutatur & ſeruat. Iuuentus floribus contenta non eſt, uirtutum maturos exigit fructus: in bellicis ciuilibus´que officijs induſtriam poſtulat. & quia tũc primùm incipimus diuitijs inhiare, quæ ſpiratio eſt inſpicienda: animi magnitudo tunc potiſſimũ ſurgit, fortitudo uero illa bellica (nam domeſtica grauioris eſt ætatis) incrementum habet: neq; ſupereſt quod ſperes à fortitudine, niſi ſe in iuuenta patefecerit. Virili autem ætati tantum demitur de laude, quantum de uirtute deſideratur. Itaque oportet id ætatis uiros eſſe perfectiſſimos: neq; quicquam facere, cuius pudeat aut pœniteat. tunc prudentia, rerum cognitio, magnificentiáq; apparent. At ſenectus patientia placet: dulcedine morum, comitate, affabilitateq; delectat. cenſeturq; præclara, ſi corpus non reddat infirmum. à rebus publicis nõ auertit: non facit deniq; ut uerũ ſit illud, Bis pueri ſenes: quales ſunt creduli, obliuioſi, diſſoluti, luxurioſi: qui in omni ætate turpes, in ſenecta uero ſunt fœdiſſimi.

ſimi. Septimum illud ſupereſt tempus, quod finem hominis inſequi dixeramus. in quo uerſari non ſemper occaſio eſt: quod non omnes ſepultos digna memoratu ſequantur. Si quando tamen tractare cõtigerit, teſtimonia, ſi qua allata ſunt, recenſeantur, tam diuina quàm humana. in quîs dedicationes templorũ, conſecrationes, ſtatuæ, monimenta, publica decreta numerantur. habẽt & ſuum locum ingeniorum monimenta, quæ raro laudem ante obitum conſequũtur. Afferunt et laudem liberi parentibus, diſcipuli præceptoribus, urbes conditoribus, leges latoribus, artes inuentoribus, inſtitutaq; auctoribus. Illud uero minime cõtemnendũ cenſemus, huiuſmodi laudationes raró in forum maiores noſtros adducere ſolitos: niſi ad funebrem laudationem adducerentur. eas Græci in triclinijs habebant, ad conuiuas coronatos, mentiriq; nefas ducebant. Sed cũ Solonis lege funera ſumptuoſa ſublata eſſent, nec de mortui laude niſi in ſepulturis, nec ab alio niſi qui publice ad eã rem conſtitutus eſſet, dici licebat. Et Plato [a] defunctorũ laudes ſepulchris incidi, quæ tamen non niſi quantum quatuor heroi

a. Cicero in fine ſecundi de Legibus.

ci uerſus caperent, permiſit. Idemque in funebri laudatione hunc ordinem oſtendit, ut defuncti prius copioſe laudentur, ſuperſtites inde benigne moneantur, filij mox defunctorum fratresq; ad uirtutis ipſorum imitationem inuitentur: parentum poſtremo & maiorum, ſi qui ſuperſunt, dolor apta conſolatione leniatur. Romani ambitioſius hoc genus tractauerunt, multa ſcripſerunt quæ facta [b] *nō ſunt: ex quibus rerum noſtrarum hiſtoria eſt facta mendoſior. Nam illas interire non ſinebant familiæ, ſed ſua quaſi ornamenta ac monimenta ſeruabant, & ad uſum ſi quis eius generis occidiſſet, & ad memoriam laudum domeſticarum, illuſtrandamq; nobilitatem ſuam: nec alius quiſquam id officij ſumebat ſibi, niſi qui defuncto eſſet cōiunctiſſimus. Sed iam ſatis dedimus præceptorū in hominibus laudandis: et exegiſſet ſanè ratio, ut aliquid de uituperatione diceremus, niſi hic ipſe labor eadem nobis exemptus eſſet: cum uituperationis idem ſit ordo, qui & laudationis: præceptaq; uituperandi contrarijs ex uitijs ſumantur, non ſolum in hominis uita, ſed & ante hominem, & poſt obitum, ut de*

b. Cicero in Bruto, Liuius Decad. in. lib. octauo. Plutarch 1 libr. de Fortuna Romanorū.

Vituperandi eadē quæ laudandi ratio.

de Paride, Melio, M. q; Mallio memoriæ proditũ
eſt. Vnde ſatis conſtat, ſine uirtutum uitiorumq;
cognitione neminem poſſe copioſè quenquã laudare,
aut inſigniter uituperare. Quamobrem ne
acta agamus, contenti his quæ dicta ſunt, ad homines
laudandos pauca de cæteris rebus in quibus
laudatio uerſatur percenſeamus. Neq; enim
ſoli laudantur homines, ſed & reliqua etiam animalia,
inanimataq; plerumq; celebrantur. nam &
mors ſæpe laudata eſt, & quidam à medicis cibi. Laus Dei.
Eſt tamẽ laus Dei propria, quæ diuinitatis admiratione,
poteſtatum enumeratione, opificij operatione,
beneficiorũ commemoratione, gratiarum
actione, ueniæ poſtulatione, mentis'que dedicatione
continetur. Eſt et eorum qui cœleſtem Diuorum.
patriam ſunt ſortiti: in quibus primum maieſtatem
ipſius eorũ naturæ uenerabimur, uim cuiuſque
& inuenta quæ utile aliquid hominibus attulerint
exequemur. cætera ex hominum laude Vrbis.
mutuabimur. Vrbs quoque niſi ſuam haberet
laudem, non tantum Plato ſtudij adhibuiſſet in
Athenis laudandis, nec Cicero in Sicilia Ennaq;
deſcribendis. Laudantur autem ſimiliter ferè at-

que homines. nam pro parente eſt conditor, pro maioribus populi à quibus originẽ duxerint. ſunt & ſua auguria, & uaticinia: multumq́; habent auctoritatis qui Aborigines, id eſt indigenæ putantur: res geſtæ ſunt pro uitijs & uirtutibus, libertas imprimis decori eſt. laus ſumitur ex honore, ſpecie, utilitate. honori ſunt uictoriæ, gubernandi ratio, leges, inſtituta, mores, conſuetudines, populi multitudo, & in ædificijs templa. Speciem regio facit maritima, plana, amœna, & quicquid in urbe magnificè fuerit cõſtructũ: publica præſertim, ut aquæductus, uiæ, porticus, theatra. Vtilitas, loci poſitione, munitioneq́; continetur: & munitio quidem natura primum conſtat, mox arte: quæ fit muris, uallo, foſſa, horreis, naualibus, armamentarijs: & quod pluris eſt quàm omnia, militari diſciplina, cui nulla tormentorum uis nocere poteſt. At loci poſitio, ſalubritate, fertilitate, commoditateq́; cõmendatur. Salubris locus eſt, excelſus, non nebuloſus, non pruinoſus: regiones cæli ſpectans neq; æſtuoſas, neq; frigidas, ſed temperatas: aquarum copiam habens feſtiuam. paluſtris uicinitas, cum nullæ

præſertim

præſertim emiſſiones ſunt, peſtilens eſt: maiores noſtri pecorum iecinoribus inſpectis ſoli qualitatem iudicabant. Fertilitas uel cuiq; rudi facile apparebit ex terræ ubertate, fructuum copia, et ſatorum pecorumq; lætitia. Commoditatem uero uicinum littus præſtet, facilis in omnia maria nauigatio: fluminum opportunitates, & maritimæ ſubuectiones. Sed cæteris præſtat omnibus ciuiũ uirtus. ut ſapientiſſimè dixiſſe uideatur facetiſſimus poëta: Si incolæ bene ſunt morati, pulchrè munitum arbitror oppidum. Solent etiam nonnunquam matrimonij laudes in nuptijs recenſeri, non philoſophico more, & quo in quæſtionibus utimur, ducendáne ſit uxor: ſed oratoria cõſuetudine, cum rem ipſam, tum eos qui eam ſunt complexi, laudibus extollendo. quod onus ſuſcipere uolentibus, imprimis à Deo Opt. Max. incipiendũ eſt: inueniſſéq; eum, oſtendiſſéq; nuptias mortalibus: idq; ita pro confeſſo eſſe, ut non modò nos in hac pia ueráq; religione, ſed etiam uetuſtas Ioui Iunoniq; acceptum connubium retulerit, turbamq; deorum ingentem præeſſe nuptijs uoluerit. nec contenti Ioue adulto, Iunoneq; adul- Matrimõij.

 ta,

ta,Iuga,& Cinxia,Venere,Suadela,Dianáq; partientium præſide, Thalaßijq; nomine auguſto: Virginenſem, Subigum,Premam,Pertundam, Ithyphallumq; deos excogitarint.quod nõ feciſſent uiri ſapientißimi, niſi putaſſent nihil in nuptijs fieri, quod non Dei inuentum exiſtimarent. His itaq; iactis fundamentis,de natura connubij dicendum eſt:cuius proprium ſit,concipere & procreare.Laus inde hominis eſt inferenda,qui (cum temerè imprudenterq; coëant animalia omnia) ordinem quendam & legem matrimonij receperit: unde à fera uaga errantiq; uia liberatus, manſuetiorem conſuetudinem per matrimonium ſit aſſecutus :uiamq; inuenerit,qua cum ipſe mortalis eſſet,immortalitatem larga ſucceßione adipiſceretur. Explicanda ſunt deinde,quæ bona contingunt uxores ducentibus, cum ad dignitatis exiſtimationem, tum ad uirtutes omnes, quarum chorus pulcherrimus comitatur.Tunc enim fructũ capere incipimus temperantiæ, uirtutis ſuauißimæ: quoniam & ciuibus noſtris reddimur certiores,ſummoq; in precio fideq; ſumus, quod filios noſtros quaſi obſides patriæ præſtitimus.

rimus. Nam ad dolores, resq́; omnes moleſtas leuãdas, quis eſt qui neſciat ex matrimonio medicamentum nobile proficiſci? iucundasq́; res rurſus iucundiores reddi? et quæ uel una infelicitatis mater eſt, ſolitudinem uitari? Iam uero quod arctius poteſt uinculũ inter alienos affinitate excogitari? quæ maior uoluptas, quàm liberorum uoluptas? Proderit et matrimonia uetuſta, ex quibus grande aliquid ortum ſit, recenſere: atque quæ bona propter ea euenerint, enumerare, ex fabulis etiam repetita. Nec locus ille eſt omittendus, ut paßis uelis in matrimonij damnatores feramur, illos præſertim qui cõmunes uxores eſſe uoluerũt. quid aliud uoluiſſe, quàm extirpare temperantiam, uerecundiam, caſtitatem, fidemq́; coniugalem? quæ ſi tollas, uirtus conſiſtere nõ poteſt. Et tolluntur ſanè, cũ incipiunt legitima eſſe, quæ flagitioſa putantur: nec eſt quod inde ſperet maiorem concordiam, cum nulla uehementior dißidij cauſſa ſit, quàm unius fœminæ à multis appetitio: nec charitas eſſe poßit, ubi nihil certi ſit quod ametur. qua ſententia diligenter confutata, bene optandum eſt nuptijs: et ſolenne illud

celebre'que initium, Quod fauſtum bonum felix'que ſit, uſurpandum. tum uerbis quaſi præformanda dicenda'que uita, quæ cum uxore & liberis eſſe ſolet, iucundißima ſcilicet & felicißima, mox ad felicitatem, quæ ex liberis oritur, ueterum exemplis (ut Anchiſæ, & Scipionis) paulatim eſt deueniendum, deſcribendiq; liberi quales futuri: quos ex bonis parentibus bonos fore conſentaneum eſt. qui locus laudes coniugum poſtulat: ubi de eorũ genere, educatione, forma, ætate, ſtudijs, officijs, bonisq; omnibus dicendum, lætitia omnium ex matrimonio oſtendenda, quod affinitas ſit confirmata, uel noua cõtracta. Poſtremo conuertenda eſt oratio ad eos, qui matrimonio copulantur: hortandi ad mutuũ amorem, fidem, concordiam. Nec abhorrebit à grauitate, iocari paulùm in tanta læticia, & pudibundæ nuptæ uiſum expudere: uel certe cogere, ut pudore uicto nupta uerba audire aſſueſcat.

Quod ſi omnia perſequi uolumus, quæ laudari aut ſolẽt, aut poſſunt: nullus modus, nullus finis eſt futurus. Magna enim ſylua laudũ eſt: nec quiſquam tam nequam cenſetur, qui penitus omni lau

de

de indignus iudicetur. Sed cum à nobis de tot rebus præcepta ſint tradita, facile erit ea detorquere, ac in ſuam quamlibet laudationem deriuare.

Totius ergo demonſtratiui generis propriū eſt, res intueri præſentes. licet enim præterita narrentur, eam tamen ob cauſam in medium adducuntur, ut præſentibus adſtipulentur. In eo cadere omnes ſtatus poſſe, uel ſolus oſtendit C. Cæſar, quem illis omnibus in Catone uituperando uſum eſſe obſeruauit M. Cicero. Frequentior tamen qualitas eſſe cenſetur: eáq; potiſsimum omnem laudationem ſeu uituperationem contineri. *Demonſtratiui generis proprium.*

Procœmia maxime libera ſunt: nam & longe à materia, & ex aliqua rei uicinia ducuntur. quem morem in bello Iugurthæ et Catilinæ ſecutus eſt Salluſtius, principijs nihil ad hiſtoriam pertinentibus Socratem imitatus, & Gorgiam. Oſtentatio cum cæteris in generibus moleſta ſit, & faſtidij plena, in hoc genere cōmendatur: dum ſtolida non ſit, & inanis, ſed quæ aliquam habeat ſpeciem probationis. Amplificatio & ornatio maxime conueniunt: quin & comparatio adhibetur iucundiſsima. Incidit & ſæpe defenſio: ut de

Cæſare,

Cæſare, quod rempublicam occuparit. Atque ut ueritas nõ ſemper exigitur, ſic nec manifeſtè mentiendum eſt, uitia'que uirtutum uicinitate adumbranda.

GENVS IVDICIALE.

Cap. 34.

IVdiciale genus omnem in ſe artem Rhetoricam continet: neque ulla res non ſolum in ratione dicendi, ſed ne in rebus quidem humanis omnibus, maioris operis eſt, & in quibus grauiore periculo labore'que uerſemur. Deliberare, & demonſtrare, quaſdam habent faciles & quaſi non errare patientes uias. at ſententiam de manibus iudicum, qui ſæpe aduerſi, nonnunquam indocti, plerunque alieni ſunt, extorquere, cum & cauſæ tam uariæ ſint quàm ipſa eſt rerum natura, pugnaq; inſtet cũ armato aduerſario, quem fervire repellereq; oporteat: id uero eſt difficillimũ. Officijs conſtat duobus, Intentione & Depulſione: hæc crimen aut debitum à reo depellit, illa in crimen aut debitum aduerſarium rapit. Finẽ eius iuſtum eſſe, nemo eſt qui non uideat. tam enim defendentes, quàm accuſantes, iuſto nituntur. Cũ

enim

enim ea prudentia in omni ſemp oratione eſſe debet, ut diligentiſsimè rem quam defendimus cõmendare, et animos apud quos dicimus ad id quod uolumus aptè cõmouere: in Iudiciali tamẽ genere uel accuſatio urgeat, uel defenſio tutetur: nunquã ſatis diligens adhiberi poteſt. Tria itaque illa quibus omnis ars cõtinetur, ſtudioſiſsimè tractanda ſunt: ut probemus uera eſſe quæ defendimus: ut conciliemus eos qui audiunt: ut animos poſtremo eorum ad quemcunque poſtulabit cauſa motum uocemus. Neceſſe eſt enim, ut qui nobis cauſam ſit adiudicaturus, aut inclinatione uoluntatis propendeat in nos, aut defenſionis argumentis adducatur, aut animi promotione cogatur. Probatio aut earum rerũ eſt quæ ab oratore nõ excogitantur, ſed à cauſa reis que deferuntur: ut ſunt tabulæ, teſtimonia, facta, conuenta, leges, et cætera id genus. aut tota in diſputatione, aut argumentatione orationis collocata eſt: ut in hac de argumentis inueniendis, in illa de tractandis ſit cogitandum. Conciliatio fit dignitate hominis, rebus geſtis, exiſtimatione uitæ, opinione beneuolentiæ, manſuetudinis, grati animi, nõ appetentis

Probatio in quibus ſita.

Cõciliatio.

tentis, non auidi: pudoris ſignificatione, uocis lenitate, uerborum comitate, hiſq; omnibus quæ proborum ſunt, nec pertinacium, nec litigioſorum. Affectuum motio. *Motionis longe diſpar ratio eſt, quippe quæ alio quodam genere permouet, impellitq; : ea fit cognitione primo animorum iudicum, quid cupiant, quid ſentiant, quò deduci oratione facile patiantur. nec eſt quòd mouere poſſe ſe ſperet, qui nõ moueatur, quiq; dicendo iraſci dolere flereq; non poßit. Sed hac ipſa motione, niſi poſtulet cauſa, utendum non eſt: ne tragœdias agere uideamur in nugis. & ſi quando exigatur, iuſtis eſt de cauſis excitanda: ut pro bonis uiris, pro iuſtitia, pro gratitudine, pro honore uel utilitate ipſorum iudicum commoueri uideamur. Sed hoc copioſius, ubi de Affectibus agemus: nũc indicaſſe ſit ſatis ea, quæ cũ in omni genere ſint opportuna, in iudiciali tamẽ ſunt neceſſaria. Sed iuſtũ ipſũ, eiuſq; partes, nõ ſatis eſt nouiſſe: niſi etiam quæ in accuſando defendendóque ratiocinationes fiunt, intelligamus. Tria igitur, quoties de iniuria agitur, inſpicienda ſunt. primũ quidem, cur cuiuſue gratia iniuria illata ſit: qualis ille qui intulerit:*

rit: quales poſtremò qui paßi ſunt. quæ antequàm exponamus, quid ipſum ſit iniuriam inferre, locus exigit ut definiamus. Eſt autem iniuriam facere, ſponte præter leges officere. et ſponte quidē facere dicimur, quæcunq; cognoſcentes, non coacti facimus: ita tamē, ut ex electione omnia: cum nihil eligamus, quod non ſponte faciamus. nemo enim ignorat, quæ eligit. Cuius ergo gratia iniuria fiat, age ſi lubet, paulò altius repetentes inueſtigemus. Quæcunq; homo agit, aut propter ſeipſum, aut propter extrariam aliquam cauſam agit: cuiuſmodi neceßitas natura & ijs ſimilia, quæ propter ſeipſum aut ex conſuetudine agit, aut ex appetitu uel rationali (uoluntas enim boni eſt, cum ratione: neq; quiſquam aliquid uult niſi bonū putet) uel etiam irrationali, cum faciūt ira & cupiditas. Neceſſe eſt ergo, quæcunq; homines agunt, ſeptem tantum cauſis facere: Fortuna, ui, natura, conſuetudine, ratione, ira, cupiditate. Fortuna accidunt, quæ nec ſemper, nec plerumq;, nec ordine fiunt: cum ipſa Fortuna, accidentium rerum ſubitus ſit atq; inopinatus euentus. Natura ea fieri dicuntur, quæ cauſam ordine deductam

Iniuria.

Cauſæ factorum 7.

ue ſit, aut eſſe uideatur. Ponimus autem malorũ reiectionem, & minoris mali (ut euitetur maius) aſſumptionem, in numero bonorum: eademq́; ratione doloris reiectionem, uel minoris aßumptionẽ inter iucunda connumeramus, quũ eligibilia quodammodo ſint. Quare nihil agit in arte rhetorica, qui quæ utilia ſint, & quæ iucunda, ignorat. Cum'que in deliberatiuo de utili tractatum ſit, præſentis laboris eſt, pauca de iucundis inſerere. Eſt enim iucundum ex his tribus quæ affectus concitant, uoluptatem'que efficiunt: ut ſunt utile, et honeſtum. neque aliud quicquam eſt uoluptas, quàm motus animi & affectio, manifeſto ſenſu in naturam irrumpens. Ipſum autem iucundum, ſecundũ naturam (ut plurimum) proficiſcitur uel è conſuetudine, quæ penè in naturam ipſam conuerſa ſit. nam curæ ſtudia ſeria, quod ui quadam fiant, & neceßitate, iucunda non ſunt: nonnullis tamen ex conſuetudine iucunda putantur, contrà ocium, quies, ſomnus, accubationes, in quibus uis nulla eſt, iucundißima cenſentur. Eſt etiam perennis iucundi fons cupiditas: tam quæ nulla ratiocinatione noſtra mouetur, Iucundum.

ſed innata potius nobiſcum eſt, ut ſitis, fames, quæ'que per alimenta omnes'que corporis ſenſus conflatur: quàm illa, qua aliquid cupimus perſuaſi. Quod ſi uoluptate frui dicimur, cum aliquo iucundo ſenſu afficimur: Imaginatio, quæ (ut uult Ariſtoteles) ſenſus quidam debilis eſt, dum præterita refert, et futuris incubat, magnas neceſſariò affert uoluptates. Cum itaq; præſentia ſentiamus, præterita meminerimus, futura ſperemus: neceſſe eſt, iucunda omnia uel præſentia ſentiendo, uel præterita repetendo, uel futura ſperando cõtineri. Quæcunq; tamẽ præſentia delectãt, eademq; ſperãtibus memoriaq; repetentib. iucunda ſunt: nec ſecus è contrario. Vnde & iraſci quoque niſi inter iucunda numeraretur, nunquam dixiſſet Homerus iram manante melle iucundiorem. ultio enim magnã excitat læticiam, neque quicquam tam ſuaue eſt quàm uincere. Hinc mirum in modum ludi delectant, & ij quibus aſſueſcimus, ut teſſeræ: & hi qui ſtatim iucunditatem afferũt, ut uenatio. ubi enim uictoria eſt, ibi gloriam quoque ineſſe oportet. Quapropter honor & gloria ex iucundiſſimis ſunt: præ-

Iraſci etiam iucundum.

ſertim

ſertim ſi hi præſtent, qui ipſi laudandi ſunt, quibusq́; fidem adhibeamus. cum eorum nihili fiat iudicium, qui nullo in precio habeantur. Amare etiam, amariq́;, beneficia conferre, egentibus opem ferre, ſuauiſſima: quòd his abundemus, quæ cæteri deſiderant. Nullius enim rei tam cupidus homo eſt, quàm imperij. ob id ſapientes eſſe haberiq́; gaudemus, increpamus libenter, admirationi eſſe affectamus, aſſentatoresq́; admittimus. Meminiſſe etiam præteritas calamitates (ſi tamẽ fe citas ſubſcripta ſit) quoniam malo carere inter primas uoluptates annumeratur. euaſiſſeq́; pericula tanto iucundius, quanto propius periculo fuerimus: quod admirabile ſit. Eſt & mira ſæpe iucunditas in mœrore: ut febricitantibus in ſpe bibendi, amatoribus potiundi. Cumq́; conſueta agere iucundum manifeſtò ſit, quis credat tantum afferre iucunditatis uiciſſitudinem? neq́; iniuria, cum ſatietatis mater ſit Similitudo. Ineſt & ſua in diſcendo imitandóque iucunditas: quæq́; imitatione conſequimur, etiam ſi ipſa nihil in ſe habeant iucunditatis. ocium denique ipſum, ac iram, riſumq́; afferentia delectant. Po-

que homines. nam pro parente eſt conditor, pro maioribus populi à quibus originẽ duxerint. ſunt & ſua auguria, & uaticinia: multumq́; habent auctoritatis qui Aborigines, id eſt indigenæ putantur: res geſtæ ſunt pro uitijs & uirtutibus, libertas imprimis decori eſt. laus ſumitur ex honore, ſpecie, utilitate. honori ſunt uictoriæ, gubernandi ratio, leges, inſtituta, mores, conſuetudines, populi multitudo, & in ædificijs templa. Speciem regio facit maritima, plana, amœna, & quicquid in urbe magnificè fuerit cõſtructũ: publica præſertim, ut aquæductus, uiæ, porticus, theatra. Vtilitas, loci poſitione, munitioneq́; continetur: & munitio quidem natura primum conſtat, mox arte: quæ fit muris, uallo, foſſa, horreis, naualibus, armamentarijs: & quod pluris eſt quàm omnia, militari diſciplina, cui nulla tormentorum uis nocere poteſt. At loci poſitio, ſalubritate, fertilitate, commoditateq́; cõmendatur. Salubris locus eſt, excelſus, non nebuloſus, non pruinoſus: regiones cæli ſpectans neq́; æſtuoſas, neq́; frigidas, ſed temperatas: aquarum copiam habens feſtiuam. paluſtris uicinitas, cum nullæ

præſertim

præſertim emiſſiones ſunt, peſtilens eſt: maiores noſtri pecorum iecinoribus inſpectis ſoli qualitatem iudicabant. Fertilitas uel cuiq; rudi facile apparebit ex terræ ubertate, fructuum copia, et ſatorum pecorumq; lætitia. Commoditatem uero uicinum littus præſtet, facilis in omnia maria nauigatio: fluminum opportunitates, & maritimæ ſubuectiones. Sed cæteris præſtat omnibus ciuiũ uirtus. ut ſapientiſſimè dixiſſe uideatur facetiſſimus poëta: Si incolæ bene ſunt morati, pulchrè munitum arbitror oppidum. Solent etiam nonnunquam matrimonij laudes in nuptijs recenſeri, non philoſophico more, & quo in quæſtionibus utimur, ducendáne ſit uxor: ſed oratoria cõſuetudine, cum rem ipſam, tum eos qui eam ſunt complexi, laudibus extollendo. quod onus ſuſcipere uolentibus, imprimis à Deo Opt. Max. inci piendũ eſt: inueniſſeq; eum, oſtendiſſeq; nuptias mortalibus: idq; ita pro confeſſo eſſe, ut non modò nos in hac pia ueraq; religione, ſed etiam uetuſtas Ioui Iunoniq; acceptum connubium retulerit, turbamq; deorum ingentem præeſſe nuptijs uoluerit. nec contenti Ioue adulto, Iunoneq; adul Matrimõij.

ta, Iuga, & Cinxia, Venere, Suadela, Dianaq́; parientium præſide, Thalaßijq́; nomine auguſto: Virginenſem, Subigum, Premam, Pertundam, Ithyphallumq́; deos excogitarint. quod nõ feciſſent uiri ſapientißimi, niſi putaſſent nihil in nuptijs fieri, quod non Dei inuentum exiſtimarent. His itaq; iactis fundamentis, de natura con nubij dicendum eſt: cuius proprium ſit, concipere & procreare. Laus inde hominis eſt inferenda, qui (cum temerè imprudenterq́; coëant anima lia omnia) ordinem quendam & legem matrimonij receperit: unde à fera uaga errantiq́; uia liberatus, manſuetiorem conſuetudinem per matrimonium ſit aſſecutus: uiamq́; inuenerit, qua cum ipſe mortalis eſſet, immortalitatem larga ſucceßione adipiſceretur. Explicanda ſunt deinde, quæ bona contingunt uxores ducentibus, cum ad dignitatis exiſtimationem, tum ad uirtutes omnes, quarum chorus pulcherrimus comitatur. Tunc enim fructũ capere incipimus temperantiæ, uirtutis ſuauißimæ: quoniam & ciuibus noſtris red dimur certiores, ſummoq́; in precio fideq́; ſumus, quod filios noſtros quaſi obſides patriæ præſtite

rimus.

rimus. Nam ad dolores, resq́; omnes moleſtas leuãdas, quis eſt qui neſciat ex matrimonio medicamentum nobile proficiſci? iucundasq́; res rurſus iucundiores reddi? et quæ uel una infelicitatis mater eſt, ſolitudinem uitari? Iam uero quod arctius poteſt uinculũ inter alienos affinitate excogitari? quæ maior uoluptas, quàm liberorum uoluptas? Proderit et matrimonia uetuſta, ex quibus grande aliquid ortum ſit, recenſere: atque quæ bona propter ea euenerint, enumerare, ex fabulis etiam repetita. Nec locus ille eſt omittendus, ut paßis uelis in matrimonij damnatores feramur, illos præſertim qui cõmunes uxores eſſe uoluerũt. quid aliud uoluiſſe, quàm extirpare temperantiam, uerecundiam, caſtitatem, fidemq́; coniugalem? quæ ſi tollas, uirtus conſiſtere nõ poteſt. Et tolluntur ſanè, cũ incipiunt legitima eſſe, quæ flagitioſa putantur: nec eſt quod inde ſperẽt maiorem concordiam, cum nulla uehementior dißidij cauſſa ſit, quàm unius fœminæ à multis appetitio: nec charitas eſſe poßit, ubi nihil certi ſit quod ametur. qua ſententia diligenter confutata, bene optandum eſt nuptijs: et ſolenne illud

celebre'que initium, Quod fauſtum bonum felix'que ſit, uſurpandum. tum uerbis quaſi præformanda dicenda'que uita, quæ cum uxore & liberis eſſe ſolet, iucundiſsima ſcilicet & feliciſsima, mox ad felicitatem, quæ ex liberis oritur, ueterum exemplis (ut Anchiſæ, & Scipionis) paulatim eſt deueniendum, deſcribendiq́; liberi quales futuri: quos ex bonis parentibus bonos fore conſentaneum eſt. qui locus laudes coniugum poſtulat: ubi de eorũ genere, educatione, forma, ætate, ſtudijs, officijs, bonisq́; omnibus dicendum, lætitia omnium ex matrimonio oſtendenda, quod affinitas ſit confirmata, uel noua cõtracta. Poſtremo conuertenda eſt oratio ad eos, qui matrimonio copulantur: hortandi ad mutuũ amorem, fidem, concordiam. Nec abhorrebit à grauitate, iocari paulùm in tanta læticia, & pudibundæ nuptæ uiſum expudere: uel certe cogere, ut pudore uicto nupta uerba audire aſſueſcat.

Quod ſi omnia perſequi uolumus, quæ laudari aut ſolẽt, aut poſſunt: nullus modus, nullus finis eſt futurus. Magna enim ſylua laudũ eſt: nec quiſquam tam nequam cenſetur, qui penitus omni lau-

de

de indignus iudicetur. Sed cum à nobis de tot rebus præcepta ſint tradita, facile erit ea detorquere, ac in ſuam quamlibet laudationem deriuare.

Totius ergo demonſtratiui generis propriũ eſt, res intueri præſentes. licet enim præterita narrentur, eam tamen ob cauſam in medium adducuntur, ut præſentibus adſtipulentur. In eo cadere omnes ſtatus poſſe, uel ſolus oſtendit C. Cæſar, quem illis omnibus in Catone uituperando uſum eſſe obſeruauit M. Cicero. Frequentior tamen qualitas eſſe cenſetur; eaq; potiſſimum omnem laudationem ſeu uituperationem contineri. Demonſtratiui generis proprium.

Procœmia maxime libera ſunt: nam & longe à materia, & ex aliqua rei uicinia ducuntur. quem morem in bello Iugurthæ et Catilinæ ſecutus eſt Salluſtius, principijs nihil ad hiſtoriam pertinentibus Socratem imitatus, & Gorgiam. Oſtentatio cum cæteris in generibus moleſta ſit, & faſtidij plena; in hoc genere cõmendatur: dum ſtolida non ſit, & inanis, ſed quæ aliquam habeat ſpeciem probationis. Amplificatio & ornatio maxime conueniunt: quin & comparatio adhibetur iucundiſſima. Incidit & ſæpe defenſio: ut de

Cæſare, quod rempublicam occuparit. Atque ut ueritas nõ ſemper exigitur, ſic nec manifeſtè mentiendum eſt, uitia'que uirtutum uicinitate adumbranda.

GENVS IVDICIALE.

Cap. 34.

IVdiciale genus omnem in ſe artem Rhetoricam continet: neque ulla res non ſolum in ratione dicendi, ſed ne in rebus quidem humanis omnibus, maioris operis eſt, & in quibus grauiore periculo labore'que uerſemur. Deliberare, & demonſtrare, quaſdam habent faciles & quaſi non errare patientes uias. at ſententiam de manibus iudicum, qui ſæpe aduerſi, nonnunquam indocti, plerunque alieni ſunt, extorquere, cum & cauſæ tam uariæ ſint quàm ipſa eſt rerum natura, pugnaq; inſtet cũ armato aduerſario, quem ferire repellereq; oporteat: id uero eſt difficillimũ. Officijs conſtat duobus, Intentione & Depulſione: hæc crimen aut debitum à reo depellit, illa in crimen aut debitum aduerſarium rapit. Finẽ eius iuſtum eſſe, nemo eſt qui non uideat. tam enim defendentes, quàm accuſantes, iuſto nituntur. Cũ

enim ea prudentia in omni ſemp oratione eſſe debet, ut diligentiſſimè rem quam defendimus cõmendare, et animos apud quos dicimus ad id quod uolumus aptè cõmouere: in Iudiciali tamẽ genere uel accuſatio urgeat, uel defenſio tutetur: nunquã ſatis diligens adhiberi poteſt. Tria itaque illa quibus omnis ars cõtinetur, ſtudioſiſsimè tractanda ſunt: ut probemus uera eſſe quæ defendimus: ut conciliemus eos qui audiunt: ut animos poſtremo eorum ad quemcunque poſtulabit cauſa motum uocemus. Neceſſe eſt enim, ut qui nobis cauſam ſit adiudicaturus, aut inclinatione uoluntatis propendeat in nos, aut defenſionis argumentis adducatur, aut animi promotione cogatur. Probatio aut earum rerũ eſt quæ ab oratore nõ excogitantur, ſed à cauſa reis que deferuntur: ut ſunt tabulæ, teſtimonia, facta, conuenta, leges, et cætera id genus. aut tota in diſputatione, aut argumentatione orationis collocata eſt: ut in hac de argumentis inueniendis, in illa de tractandis ſit cogitandum. Conciliatio fit dignitate hominis, rebus geſtis, exiſtimatione uitæ, opinione beneuolentiæ, manſuetudinis, grati animi, nõ appetentis

Probatio in quibus ſita.

Cõciliatio.

tentis, non auidi: pudoris ſignificatione, uocis le-nitate, uerborum comitate, hisq; omnibus quæ proborum ſunt, nec pertinacium, nec litigioſo-rum. Affectuum motio. *Motionis longe diſpar ratio eſt, quippe quæ alio quodam genere permouet, impellitq;: ea fit cognitione primo animorum iudicum, quid cu-piant, quid ſentiant, quò deduci oratione facile pa-tiantur: nec eſt quòd mouere poſſe ſe ſperet, qui nō moueatur, quiq; dicendo iraſci dolere flereq; non poßit. Sed hac ipſa motione, niſi poſtulet cau-ſa, utendum non eſt: ne tragœdias agere uidea-mur in nugis. & ſi quando exigatur, iuſtis eſt de cauſis excitanda: ut pro bonis uiris, pro iuſtitia, pro gratitudine, pro honore uel utilitate ipſorum iudicum commoueri uideamur. Sed hoc copio-ſius, ubi de Affectibus agemus: nūc indicaſſe ſit ſatis ea, quæ cū in omni genere ſint opportuna, in iudiciali tamē ſunt neceſſaria. Sed iuſtū ipſū, eiusq; partes, nō ſatis eſt nouiſſe: niſi etiam quæ in accuſando defendendó que ratiocinationes ſi unt, intelligamus. Tria igitur, quoties de iniuria agitur, inſpicienda ſunt. primū quidem, cur cu-ius'ue gratia iniuria illata ſit: qualis ille qui intule*

rit:

rit: quales poſtremò qui paſſi ſunt. quæ antequàm exponamus, quid ipſum ſit iniuriam inferre, locus exigit ut definiamus. Eſt autem iniuriam facere, ſponte præter leges officere. et ſponte quidē facere dicimur, quæcunq; cognoſcentes, non coacti facimus: ita tamē, ut ex electione omnia: cum nihil eligamus, quod non ſponte faciamus. nemo enim ignorat, quæ eligit. Cuius ergo gratia iniuria fiat, age ſi lubet, paulò altius repetentes inueſtigemus. Quæcunq; homo agit, aut propter ſeipſum, aut propter extrariam aliquam cauſam agit: cuiuſmodi neceſſitas natura & ijs ſimilia, quæ propter ſeipſum aut ex conſuetudine agit, aut ex appetitu uel rationali (uoluntas enim boni eſt, cum ratione: neq; quiſquam aliquid uult niſi bonū putet) uel etiam irrationali, cum faciūt ira & cupiditas. Neceſſe eſt ergo, quæcunq; homines agunt, ſeptem tantum cauſis facere: Fortuna, ui, natura, conſuetudine, ratione, ira, cupiditate. Fortuna accidunt, quæ nec ſemper, nec plerumq;, nec ordine fiunt: cum ipſa Fortuna, accidentium rerum ſubitus ſit atq; inopinatus euentus. Natura ea fieri dicuntur, quæ cauſam ordinę deductam

Iniuria.

Cauſæ factorum 7.

ue ſit, aut eſſe uideatur. Ponimus autem malorũ reiectionem, & minoris mali (ut euitetur maius) aſſumptionem, in numero bonorum: eademq́; ratione doloris reiectionem, uel minoris aßumptione inter iucunda connumeramus, quũ eligibilia quodammodo ſint. Quare nihil agit in arte rhetorica, qui quæ utilia ſint, & quæ iucunda, ignorat. Cum'que in deliberatiuo de utili tractatum ſit, præſentis laboris eſt, pauca de iucundis inſerere. Eſt enim iucundum ex his tribus quæ affectus concitant, uoluptatem'que efficiunt: ut ſunt utile, et honeſtum. neque aliud quicquam eſt uoluptas, quàm motus animi & affectio, manifeſto ſenſu in naturam irrumpens. Ipſum autem iucundum, ſecundũ naturam (ut plurimum) proficiſcitur uel è conſuetudine, quæ penè in naturam ipſam conuerſa ſit. nam curæ ſtudia ſeria, quod ui quadam fiant, & neceßitate, iucunda non ſunt: nonnullis tamen ex conſuetudine iucunda putantur, contrà ocium, quies, ſomnus, accubationes, in quibus uis nulla eſt, iucundißima cenſentur. Eſt etiam perennis iucundi fons cupiditas: tam quæ nulla ratiocinatione noſtra mouetur, Iucundum.

ſed innata potius nobiſcum eſt, ut ſitis, fames, quæ'que per alimenta omnes'que corporis ſenſus conflatur: quàm illa, qua aliquid cupimus perſuaſi. Quod ſi uoluptate frui dicimur, cum aliquo iucundo ſenſu afficimur: Imaginatio, quæ (ut uult Ariſtoteles) ſenſus quidam debilis eſt, dum præterita refert, et futuris incubat, magnas neceſſariò affert uoluptates. Cum itaq; præſentia ſentiamus, præterita meminerimus, futura ſperemus: neceſſe eſt, iucunda omnia uel præſentia ſentiendo, uel præterita repetendo, uel futura ſperando cõtineri. Quæcunq; tamẽ præſentia delectãt, eademq; ſperãtibus memoriaq; repetentib. iucunda ſunt: nec ſecus è contrario. Vnde & iraſci quoque niſi inter iucunda numeraretur, nunquam dixiſſet Homerus iram manante melle iucundiorem. ultio enim magnã excitat læticiam, neque quicquam tam ſuaue eſt quàm uincere. Hinc mirum in modum ludi delectant, & ij quibus aſſueſcimus, ut teſſeræ: & hi qui ſtatim iucunditatem afferũt, ut uenatio. ubi enim uictoria eſt, ibi gloriam quoque ineſſe oportet. Quapropter honor & gloria ex iucundiſsimis ſunt: præ-

Iraſci etiam iucundum.

ſertim

ſertim ſi hi præſtent, qui ipſi laudandi ſunt, quibusq́; fidem adhibeamus. cum eorum nihili fiat iudicium, qui nullo in precio habeantur. Amare etiam, amariq́;, beneficia conferre, egentibus opem ferre, ſuauiſsima: quòd his abundemus, quæ cæteri deſiderant. Nullius enim rei tam cupidus homo eſt, quàm imperij. ob id ſapientes eſſe haberiq́; gaudemus, increpamus libenter, admirationi eſſe affectamus, aſſentatoresq́; admittimus. Meminiſſe etiam præteritas calamitates (ſi tamē felicitas ſubſcripta ſit) quoniam malo carere inter primas uoluptates annumeratur. euaſiſſeq́; pericula tanto iucundius, quanto propius periculo fuerimus: quod admirabile ſit. Eſt & mira ſæpe iucunditas in mœrore: ut febricitantibus in ſpe bibendi, amatoribus potiundi. Cumq́; conſueta agere iucundum manifeſtò ſit, quis credat tantum afferre iucunditatis uiciſsitudinem? neq́; iniuria, cum ſatietatis mater ſit Similitudo. Ineſt & ſua in diſcendo imitandóque iucunditas: quæq́; imitatione conſequimur, etiam ſi ipſa nihil in ſe habeant iucunditatis. ocium denique ipſum, ac iram, riſumq́; afferentia delectant. Po-

ſtremo, quoniam quæ ſecundum naturam iucunditatẽ afferũt, idcirco quo coniunctiora ſunt, eo ſunt iucundiora: ut homo homini, mas mari. qua ex ſententia ſeipſum magis homo amet neceſſe eſt, quàm reliquos: cum ſua ipſius cauſa cæteros amet. Liberi deinde, & quæ inter chara adnumerantur, quanto plus ad hominẽ accedunt, tanto plus afferunt iucunditatis. Et iucundo quidem perſpecto, eademq́; ratione iniucundo (cum eadem oppoſitorum ſit diſciplina) facile erit cognoſcere, quæ cauſa ſit inferendæ iniuriæ: cui ſuccedat oportet, quales ſint qui iniuria cæteros afficiant. Sunt autem, qui facile inferre poſſe arbitrantur, uel celare ſperant: aut ſi deprehenſi ſint, nullas, uel quàm minimas daturos ſe pœnas: pluſq́; in iniuria lucri, uoluptatiſ'ue, quàm in luenda pœna damni mœroriſq́; ineſſe exiſtimant. Iniuriam facile ſe poſſe inferre eloquentes, diuites, actionibus exercitati, experti, multis nixi amicitijs, clienteliſq́: uel ſi ipſi careant, in habentibus amicis, ſeu ſocijs, ſeu miniſtris, quod illorum ſe patrocinio tutos putent. Præterea ſi amici iudicibus ſint, uel his qui iniuriam perpetrant. Iudices

Iniuria afficientes qui.

ces enim leui molliq; brachio in amicis agunt, ami corum iniurias æquiore animo toleramus. Cela re autem ſeipſos poſſe ſperant, qui omni uacare ſuſpectione uideantur, ut deformes adulterij, ſacerdotes ſtupri, debiles pulſationis, & ea quæ pa làm ante oculos ſunt. neque enim aperta, quæq; ingentis laboris ſit tollere, obſeruantur. Cauemuſq; potius nobis ab uſitatis: ut uidemus in morbis accidere: quos illi timent, qui ſunt experti, Clàm etiam ſe facturos putant, quibus nullus inimicus, uel quibus plurimi. illi, quod nõ obſeruentur: hi uero, quum omnibus ferè ſuſpecti ſint, nõ uideantur ob nimiam cuſtodiam clàm facere potuiſſe. multos quoque locus, commoditas, moréſque celant. Inuitant etiam ad iniuriam faciendã, iudicij propagandi, propulſandi, corrumpendi, uel certe ob inopiam euadendi ſpes: lucrum quoque apertum, præſens, magnũ, præſertim ſi damnum occultum paruum procul'ue ſit. maior etiam utilitas, quàm ut par ſupplicium excogitari poſſit: ueluti eſt tyrannis. Sunt & proni ad iniuriam, qui inde lucrum petunt, neque quicquam mali præter ignominiam uerentur, quibúſque id

feciſſe laudi aſcribitur: ut parentes quacunque pœna ulciſci, quiq́; ſæpe aut celarunt, aut abſoluti ſunt: et illi, quibus parum proſpere ſucceßit. uſu enim accidit iniuriæ, quemadmodum in bellis, ut ſæpe uicti ſæpe cupiant periclitari. Iam uero qui lucrum uoluptatemq́; ſtatim aſſequuntur, uel damnum dolorem'ue ſtatim perpetiuntur: et qui fortuna, neceßitate, natura, conſuetudineq́; aliquid feciſſe uideri poſſunt: erraſſeq́; potius, quàm ſcelus commiſiſſe: quiq́; aliterius ſuum obtinere deſperant. Egentes denique, & copioſi: hi luxu, illi neceßitate. Præclari poſtremò, & infames: hi quia nihil iacturæ facturos eſſe de exiſtimatione ſciunt, cum nulla ſit: illi autem, quod ſua ſe ſperant exiſtimatione omnem iniuriæ ſuſpicionem extincturos. Nunc igitur quales ſint quos iniuria plerumq́; homines afficiant, inſpiciamus. Petunt autē eos, qui ea habent qbus ipſi egēt: uel ad uſum, uel ad neceßitatē, uel ad luxū. longè etiā gentiū et proximè poſitos: ab his enim cito auferūt, ab illis nullas uel ſeras uerentur pœnas. Credulos quoq́;, nō cauentes ſibi, nec obſeruantes: quoniā celare facillimū negligentes. nam

Iniuria affici plerunq; ſoliti qui.

ulciſci, ſummæ eſt diligẽtiæ. Verecũdos, qui pro lucro nõ pugnãt: aſſuetos ferre. ueterẽ enim ferendo iniuriã, inuitamus nouã. Eos inſuper, quos nunquã læſimus, et quos ſæpe. ambo enim incauti: illi, quod nunquã: hi, quod nõ amplius. Aduerſorũ etiam rumorũ, et quos mala lædit fabula: nã hi iudicia fugiũt, nec poſſunt ſi uelint perſuadere. Itẽ qui odio ſunt multis, multũq; inuidiæ ſuſtinẽt, maliq; aliquid nobis noſtrisq; fecerũt, facturiq; uidebantur. Amicos item, & inimicos: illos nanq; facile, hos iucunde lædimus. Neceßitudinum quoque inopes, & qui nec ad agendum, nec ad dicendum ualent. Quibusq; inutile ſit, iudicia perſequi: ut aduenæ, & opifices. Nec ſecus delectat lædere, male de nobis meritos, nobiſcumq; dißidentes. quique alios lædere conſueuerunt: quod ipſum uoluptatem laudemq; affert, nec ferè iniuria iudicatur. Nocemus præterea, quando ueniam ſperamus. quando qui accuſaturus non eſt, minima ſectari uidebitur: quando ſi nos abſtineamus, ab alijs opprimi poſſe cenſemus, iniuriamq; beneficijs penſare confidimus. Quæ denique multi factitant, quæ conſumi ci-

to, mutari, inuerti, ne agnoſcantur: celarıq́; facile, & recondi, auferriq́; poſſunt: quæq́; paſſus eſt qui infert, & quæ demũ eum qui patitur pudet fateri, uelut adulteria: ea omnia iniuriæ ſunt expoſita. Cuius ergo gratia iniuria inferatur, qualesq́; ſint qui inferant, quiq́; patiantur, ſatis arbitror ex his quæ in medium adducta ſunt patêre. Sed quoniã non omnibus eadem uidetur iniuria, ſæpeq́; uſu uenit ut plus doleant læſi quàm par ſit, minusq́; nocuiſſe ſe putẽt nocentes quàm fecerint (quod aliena mala nõ ſentimus, et noſtra maiora quàm ſint iudicamus) idcirco de iniuria primũ iureq́; factis, mox de maiore minoreq́; iniuria paucis diſſeramus. Iniuria iureq́; facta omnia legibus primum duabus, deinde quibus fiunt bifariam determinantur. leges aũt duas appellamus illas ipſas iuſti partes, quæ ternario à nobis numero in iuſti definitione ſunt expoſitæ. cõmunem ſcilicet, quæ ſecundum naturã ſit: & propriam, quæ in ſcriptã & non ſcriptam diuidatur. Quibus uero iniuria fiat, bipartitò conſtituimus. aut enim cõmunis læditur ſocietas, ciuitasq́; ipſa offenditur, ut in militia: aut unus alter'ue iniuria afficitur,

ficitur, ut in adulterio. quæ cum ita ſint, et iniuriã facere nihil aliud ſit quàm ſponte præter leges no cere, ſpontéq; illi faciant qui ſciant: neceſſe eſt, peccata omnia uel ad ciuitatẽ, uel ad priuatos ſpe ctare: & hoc aut à uolente ſcienteq;, aut contrà fieri: atq; horũ quædam electione, quædam uero affectu conuicti. Cúq; nõnulli feciſſe ſe aliquid fateantur, ſed intentionem negant aduerſarij: & cepiſſe ſe aliquid, ſed non furatos aſſerant: ſexcentáq; eiuſmodi: quid ſit illud de quo agitur definiendũ eſt, ut poßimus iuré ne an iniuria querámur inſpicere. Et quoniã iuſtorum iniuſtorumq; duas partes connumerauimus, ſcriptas ſcilicet leges, & nõ ſcriptas, deq; ſcriptis affatim demonſtratũ eſt: pauca de nõ ſcriptis ſunt recenſenda. alia enim per exceſſum uirtutis uitijq; ſunt, in quibus uituperatiões, honores, infamiaq;: ut gratias habere benemerito, amicis præſto eſſe, & his ſimilia. alia uero ex legũ ſcriptarum defectu: deeſt aũt ſcriptis legibus, uel quod latores aliquid effugerit, uel quod conſultò prætermiſerint, cũ determinare ſigillatim omnia nequiuerint. neq; enim ſi de uulnere agatur, quo ferro, quali, quãtó ue,

 con-

conſtitui poteſt. Eſt igitur æquum quoddam bonumq́;, quod præter legẽ ſcriptam iuſtũ cenſeatur: multaq́; etiã lege ſcripta putãtur iniuſta, quæ æquo bonoq́; tutari poſſunt. Eadẽ ratione nõ tanti errores faciendi ſunt, quanti iniuria: nec tanti quæ aduerſa eueniũt fortuna, quãti errores. nam aduerſa fortuna fieri dicũtur, quæcũq; præter opinionẽ, non ex malignitate fiunt: error uero nõ præter opinionẽ, ſed ſine malignitate fit. At iniuria & opinio eſt & malignitas. Aequũ eſt etiam in rebus humanis ad ignoſcendũ commoueri: & non legẽ, ſed legis ſcriptorẽ: nõ uerba, ſed ſententias: non factũ, ſed uoluntatẽ: non partem, ſed totum: non qui nũc, ſed qui ſæpe, aut ferè ſemp fuerit conſiderare: beneficiorũ potiuſquã iniuriarũ, acceptiq́; quàm collati meminiſſe: iniuriã æquo animo ferre, oratione potius quàm re diſceptare, et ad arbitrũ magis quàm in forũ deſcendere. nã arbiter æquũ bonũq́;, iudex iuſtum ſpectat: neq; aliã ob cauſam arbiter eligitur, niſi ut æquum bonumq́; ſuperemineat. Atq; hæc de iniuria iureq; factis dicta ſufficiãt. Maior aũt minor ue iniuria multis modis cognoſcitur: eaq; maior exiſtimatur,

tur, quæ à maiori † proficiſcendi iniquitate. unde quæ minima ſunt crimina, maxima interdũ uidētur: cũ is præſertim qui teruciũ furetur, quid uis iudicetur ablaturus. Magnitudo quoq; damni maiorẽ facit iniuriã, ſi par nullum ſupplicium excogitari, aut remediũ adhiberi poßit: nã ultio et pœna pro remedio ſũt. nec minor, cũ qui ppeſſus turpitudinẽ ferre nõ poterit: ut qui accuſatus ſibi uim intulit, maledicoq́; carmine laceratus laqueo pependit. Eſt et in maximis, ſolũ aliquid facere, uel primũ, uel cũ paucis: præſertim ſi id faciat ſæpe, cauſam'ue legi nouæ dederit, aut carceri, aut ſupplicio. Quin et maior cenſetur iniuria, quæ plurimũ diſtet ab humanitate, beſtiarũq́; ſit quàm ſimillima: et quæ cogitatò fit, quaq; audita homines magis timent quàm miſereantur. Amplificatur aũt omnis iniuria, quod euerterit multa iuſta, iuſiurandũ, datam dexteram, hoſpitium, fidem, affinitatemq́; contempſerit. Ad hæc maius redditur peccatum, ſi ibi deliquerit, ubi iniuſti puniuntur: quod faciunt falſi teſtes. ubi enim nõ nocebunt, qui apud iudicem peccauerint? Ea etiã maiora ſunt, in quibus ſumma turpitudo, ingratitudoq́;

Forte, proficiſcitur.

tudóq; ingens. nam bis peccat, quòd non benefacit, & quòd male. Sed hæc & longe plura, ſi paululum ſtudij artiſq́; adhibuerit, facile orator ſuo ingenio aſſequetur: nobis demonſtraſſe ſat ſit generi iudiciali neceſſaria, quid potiſſimũ circa iniuriã uerſetur. Eius generis proprium eſt, prætenta diſcutere: omnes ſtatus capit, omnẽ artis exigit ſupellectilem, omnia dicendi genera cũ uſus eſt expoſtulat: neq; ullum genus eſt, in quo difficilius glorioſiuſq́; ſe poſſit orator exercere.

COMPENDII RHETORICAE ab optimis utriusq; linguę autoribus excerpti, quo IANVS PARRHASIVS in perducendis ad eloquentiã ſuis adoleſcentibus uti ſolebat,

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPITVM, QVAE IN HOC RHEtoricæ Compendio præcipue *tractantur, ſeries.*

A quibus primum & inuenta Rhetorica, & celebrata. Cap. 1. Pag. 1.
Qualis primũ apud Athenienſes eloquentiæ uſus ac ſtudium. 2.3
Quale primũ apud Romanos. 3.4
Quid ſit Rhetorica. 4.6
Quid inter Rhetoricã & Dialecticã. (5.7
An Rhetorica ſit ars. 6.9.
Quod utilis ſit Rhetorica. 7.11
Sit'ne ars neceſſaria. 8.15 (18
Quæ præſtare oporteat Rhetora. 9.
Quales eſſe debeant Rhetoricæ candidati. 10.20
Quæ ſcire eos oporteat. 11.22
Quod ſit officium Rhetoricæ. 12.24
Quid inter officium & finem. 13.25
Quis Rhetoricæ finis. 14.26
Quæ materia. 15.29
De ciuilib. quæſtionibus, & earum generibus. 16.31

De circunſtantia, quæ facit hypotheſim. 17.34
De tribus generibus cauſarũ. 18.36
Partes Rhetoricæ quinq;. 19.39
De inuentione. 20.41
Quę cõtrouerſiæ nõ conſiſtãt. 21.42
De conſtitutione. 22.45
Quot ſint cõſtitutiones, et quę. 23.47
De ſtatu coniecturali. 24.49
De ſtatu definitiuo. 25.50
De ſtatu generali 26.52
De ſtatu tranſlatiuo 27.58
Ex plurib. conſtitutionibus quomodo principalẽ quis inueniat. 28.59
Quæ cauſa ſimplex ſit, & quæ coniuncta. 29.60
De quæſtione, ratione, iudicatione & firmamento. 30.61
Partes orationis. 31.64
De genere Deliberatiuo. 32.66
Genus Demonſtratiuum. 33.71
Genus Iudiciale. 34.92

FINIS.

ERRATA.

Pag.18.uerſ.2.lege,Rhetora. 23.22.aliud. 28.11. quæ dum 32.13.tempore 34.19.ſeparauimus 43.10. ſe inuicem 46.16.ex illis 47.11. iudice [illegible].21. adhibendus 84. in marg.Decad. 1. lib. [illegible]auo.Plutarch . in lib. 100.18.forte legend. inferre ſperant,&c.Et uerſ.20.lege,hæc habentibus 103.6.pro fabula ,melius forſan legatur,fama

BASILEAE IN OFFICINA
Roberti Vuínter,Anno 1539.
Menſe Septembri.



BIBLIOTECA